image
not
available

image
not
available

image
not
available

image
not
available

SIMPLEX ET fidelis narratio de

INSTITVTA AC DEMVM DISsipata Belgarum, aliorumque peregrinorum in Anglia, Ecclesia: & potissimum de susceptis postea illius nomine itineribus, quæque eis in illis euenerunt.


In qua multa de Cœnæ Dominicæ negocio, alijsq; rebus lectu dignissimis tractantur.

PER IOANNEM VTENhouium Gandauum.

LVCAE 17.

Fieri non potest quin ueniant offendicula: uæ tamen illi per quem ueniunt.

1560.



IOANNES A' LASCO CHRISTIANO LEctori S. D.

PRESSIMVS hactenus, Christianæ lector, abitus nostri ex Anglia historiam, posteaquam nostræ illic Ecclesiæ, reuecto rursum Papismo dissipatæ, aliud sibi receptaculum quærendum esse alibi statuissent. Et fecimus id sanè, pacis (quoad eius fieri posset) cum omnibus retinendæ studio: etiamsi multa & grauia in nos & fratres nostros, profectionis nostræ socios (præter nostrum omnē meritum) designata passim essent, quæ iustissimam alioqui causam nobis scribendi eá de re aliquid præbebant. Nimirum uolebamus illatas nobis iniurias omnes propter CHRISTVM *patientia nostra uincere, & turbas omnes siletio nostro redimere: innocentiæ nostræ in corde nostro testimonio freti. Sed cum nostro silentio,*


noſtraq́; tolerantia, non ſolùm miteſcere
noſtros aduerſarios (quod equidem ſpera
bamus) ſed multo adhuc etiam magis in-
ſoleſcere, adeoq́; & efferari, ac neſcio quos
ſibi triumphos de nobis ante uictoriā de-
cernere uideremus: & pij omnes, fraudi
iam deinceps nobis, noſtriſq́; Eccleſijs, ſi-
lentium hoc noſtrum fore iudicarent: hor
tatiq́; nos iam plures eſſent, ne & digni-
tatem ipſam Eccleſiarum noſtrarum, et
noſtri in illis miniſterij fidem ſilentio am
plius noſtro proderamus: abrumpendum
illud nobis tandem eſſe (quantumuis in-
uiti) exiſtimauimus: ne calumnias ad-
uerſariorum agnouiſſe, nihilq́; quod ad
eas reſponderemus, habuiſſe uideremur.
Dedimus igitur negociū (cùm nobis alio-
qui ipſis non uacaret) ex fratrum omniū
conſilio, conſcribendæ hiſtoriæ abitus no-
ſtri illius ex Anglia, uiro clariſſ. D. IO-
ANNI VTENHOVIO, collegæ noſtro,
& noſtrarum in Anglia pridem Eccle-

ſiarum

ſiarum presbytero: cuius ſanè uiri probitas, fides, grauitas, eruditio atq; integritas ipſa notior pijs paßim omnibus, quàm ut ulla egeat commendatione. Certè qui hominem norunt, non dubitabunt de fide illius in conſcripta per ipſum Peregrinationis noſtræ iſtius hiſtoria: quā nos quoque ueram eſſe (coram Domino) pro eo ac nobis eſt cognita, teſtamur. Quòd ſi qui nihilominus fidem illius in dubium uocare conentur (ut nunc ſunt homines, qui perfricta fronte, quæ uerißima eſſe palàm conſtat, mendacij nihilo ſecius accuſare tamē conātur) nos talium impudentiæ, Apoſtolicū illud duntaxat opponimus: Siſtemur olim ad tribunal CHRISTI *Domini. Et tum omnis fucus atq; hypocriſis aduerſariorum noſtrorum coram orbis totius theatro conſpicietur. Hanc noſtram prouocationem pijs omnibus ſatisfacturam eſſe non dubitamus. Interim diſperdat Dominus labia doloſa,*

si, & linguas magniloquas: Amen. Calisiæ, in maiore Polonia. 26 Martij, Anno 1558.

IOANNES VTENHOVIVS Christiano lectori Salutem.


CRIPTVRVS *de rebus gestis peregrinorum, ac præsertim Belgarũ, post Ecclesiæ ipsorum in Anglia dißipationẽ, (Ecclesiæ inquam illius, quæ Londini fuit, sub Eduardo sexto, uero seculi nostri Iosia) à prima mihi illius origine auspicandum esse putaui: ut sic illius dißipationem paucis atingere, ac demum itinerum illius nomine postmodum susceptorum, rerumq; per fratres in ea ipsorum peregrinatione gestarum historiam texere possem. Quæ sanè historia poterat maiore quidem gratia à quibusdam nostris describi, si modò res ipsorũ ita tulissent. Verùm cum id ipsi, graues alioqui ob causas, præstare nõ possent: ac ego, qui magna multorum pars fui, à fratribus urgerer importunius, ut eam prouinciam in gratiã Ecclesiæ ipse susciperem: mihi sanè fuit religio, operam hic meam ipsis denegare. Porrò quæ me absente nostris contigerunt, ea ex communi, consentienteq; nostrorum testimonio, qui rebus ipsi interfuerunt, habui multò compertißima: ut de fide narrationis hinc nostræ, nihil sit prorsus ambigendum. Et quamuis intolerabilis quædam libido traducendi, sugillandiq;*

omnia

omnia, animis nunc hominum (si unquam aliàs) passim incesserit: facilè tamẽ prudẽs quisq; lector intelliget, fidem nostræ huius narrationis non prorsus leuẽ esse debere: præsertim cum res ipsa adeò adhuc sit recens, ut, præter alia documenta longè clarißima, grauibus etiam ac fide dignis multorum testimonijs (siquidem id res postulet) confirmari queat. Si uerò homines quidam furijs suis (nobis alioqui præter omne meritum nostrum iniquißimi) temerè nos mendácij nihilominus insimulare suo more pergant, conuicijsq; suis proscindere: nos equidem, ut maledicentia non delectamur, ita conuicijs calumnijsq; cum talibus hominibus certare nolumus. Sed cum non sit in manu nostra, eorum impudentiam & effrenatam maledicendi petulantiam sistere, certi alioqui de causæ nostræ ueritate, ac nostræ item narrationis fide, cõuicia, præiudiciaq; ipsorum omnia facilè contemnemus: omnesq; ipsorum calumnias, CHRISTO Domino confisi, libenter perferemus. Quem ipsum, tametsi sit ueritas ipsa, ἀντιλεγόμενον nihilo secius eum hic perpetuò esse non ignoramus. Is autem nouit, nos non grauandi quenquam studio facere quod facimus, ullaúe uindicandarum iniuriarum cupiditate (uti uel ex tanto tẽporis interea progressu, quo libri gratia magna ex parte alioqui obsoleuisset, facilè iudices) uel alia quapiam priuata animi affectione: sed inuitos nos eò, adeoq; Diomedea quadam necessitate adactos esse, ut Ecclesiæ nostræ dignitatem, nostriq; item in illa ministerij fidem, aduersus improbos maleuolorum latratus, quibus, etiam post crucem illam no-

Diomedeâ necessitate adigi.

ſtram, ſine cauſa impetimur, nuda ſaltem ac ſimplici rerum geſtarum narratione pro noſtro officio tuere mur: ne noſtrum ſilentium (quo latratus eiuſmodi omnes ſiſti poſſe ſperabamus) noſtræ deinceps Eccleſiæ, noſtroq́; in illo miniſterio (ſilentij Amyclarũ inſtar) fraudi ſit quoquo modo: ne ue per illud etiã malè audiat in nobis Euangelium CHRISTI IESV.

Silentium Amyclas perdidit.

Maluiſſemus ſanè ad Eccleſiæ Chriſti Domini ædificationem, Hiſtoriam hanc euulgari nõ oportere: ac potius ſopitam, perpetuoq́; ſilentio quodam ſepultam manere potuiſſe, propter offendicula quæ inde aliqua ex parte metuenda uidentur. Verùm cũ ipſi antagoniſtæ, quiduis ſibi permittentes, Eccleſiã noſtrã, curæ noſtræ concreditam, indignis indeſinenter modis proſcindant: actaq́; fratrum noſtrorum in ea ipſa eorum peregrinatione ferè omnia, editis etiam ſcriptis, ac quotidianis traductionibus ſuis impudenter peruertant: quid hic quæſo minus præter officium faciamus, quàm quòd ſine ulla omnino exaggeratione, ulla ue calumniarum acceptarum, accipiendarumúe refutatiõe, rem ipſam ſimpliciter ut geſta eſt, tibi optime Lector, iudicandam proponimus? Offendicula hauddubiè uitãda ſunt Chriſtiano homini: ſed fieri nõ poſſe, quin ueniant offendicula, teſtatur CHRISTVS ipſemet Dominus. Neq; uæ ullum illorum nomine cõminatur, niſi illi per quem ueniunt. Quod porrò per nos hic nõ ueniant offendicula, extra omnẽ eſt cõtrouerſiã. Nos enim certi ſumus de æquitate cauſæ, ueritateq́; doctrinæ noſtræ ex Dei uerbo, menteq́; ipſius. ac proinde hac fiducia freti, nullam unquã lucem, nul-

laq́;

Iaq; pia ac modesta colloquia refugimus: quemadmodũ neq; clarißimi piæ memoriæ uiri, Hulricus Zuinglius et Ioannes Oecolampadius, unquam refugerũt: nec etiam, Ecclesiæ Heluetica, Sabaudicæ, Frisicæ, Anglicæ ac Polonicæ, atq; adeò omnes peregrinæ Ecclesiæ, quotquot sunt per eas ipsas regiones dispersæ (optimè sibi consciæ) hactenus detrectarunt, neq; etiãnum detrectant. Deinde neminem huius controuersiæ nomine unquam sumus auersati: ac communionem cum ipsis Ecclesiasticã semper seruauimus, quatenus ullo prorsus modo ab ipsis ferremur: adeoq; omnimoda humanitatis amicitiæq; officia, ut in Anglia semper, ita et alibi paßim exhibuimus, ac etiam nunc exhibemus, his qui aliàs sine præiudicijs à nobis dissentirent. Postremò, ne quid eorũ quæ ad sarciendã concordiam non obscurè facere uidentur, prætermitteremus, fiducia pietatis antagonistarum nostrorum, in cruce illa nostra, per longa marium itinerumq; interualla eos sub ipsam hyemem cateruatim acceßimus, sperantes fore, ut tandem aliquando ipsorum animi nostra humanitate mollescerent, mitigarẽturq;: colloquia paßim ab eis libera postulantes, ad nostri purgationem, maioremq; ueritatis elucidationem. Sed frustra hæc omnia, adeò ut inauditi paßim turpiter reijceremur: non tam sanè culpa Magistratus, quàm eorum potius quibus in primis causa nostra meritò commendata esse debuerat: nimirum Concionatorũ, quorum instigationibus tanquã flabellis quibusdam excitatus Magistratus, magis quàm propria sponte, sæuire demũ in nos non addubitauit. Hæc tamen aliquo

modo ferri poterat, in isthac præsertim Ecclesiæ perturbatione, si homines illi male feriati, & ad Ecclesias perturbandas tantū nati, à maledicis scriptis (uti iam indicauimus) sibi postmodum temperassent: quibus fratres ac fideles Ecclesiæ nostræ ministros, Ecclesiamq; nostram adeò totā in farraginibus nescio quibus ueriti nō sunt calumniose proscindere. Et quemadmodum Antipater ille, cuius meminit Plutarchus, cominus cū Carneade congredi nequiens, multos maledicos libros contra eum scripsit: ita & hi omnia pia modestaq; colloquia (uti hic facilè uidere liceat) detrectantes, cauillosa quædam scripta, ipsorum uocatione nimis indigna, tanquam è plaustro loquentes, euulgarunt: præsertim in illustrem modis omnibus uirum IOANNEM à LASCO ac MARTINVM MICRONIVM, eos eorumq; ministerium meris mendacijs degrauantes. Quod facilè fuerit Lectori obseruare, qui modò æquum ad legendum animū adferre uolet. Nam quòd ipsum Ioannem à Lasco attinet, eius scripta, quæ publicè extant, eiusq; fides, ac fidei ipsius confeßio, toti iam Christiano orbi, omnibusq; melioris notæ Ecclesiis probata (ut de omnimodo uirtutū ipsius genere sileam) cum facile ab omnibus calūnijs uindicauerint: ac proinde malim hic tacere, quàm multa de eo nunc dicere: præsertim cum tāta sit apud omnes pios nominis ipsius autoritas, ut parū alioqui aut nihil ei per me accedere posse uideatur. Quod uerò Micronium ipsum attinet, tanta est hominis integritas, modestia, εἰρηνοφιλία, sana eruditio, tamq; pium eius ad respondendū ingenium, ac singulare in

ſcrutandis ſcripturis iudiciū,quidquid hic aduerſarij cōminiſcātur,ut ego multos Micronios Eccleſiæ Chriſti optarim. Neq; me hic omnino falli iudicio,haudquaquā difficile fuerit (tanquā ex unguibus leonē) iudicare, uel ex uelitatorijs ipſius colloquijs (quæ hic adiunximus) etiamſi eius ſcriptis, innumeriſq; eorū teſtimonijs qui ipſum probè nouerunt & audiuerūt, deſtitueremur. ut cuiuis conſtare queat, & ipſis et Eccleſiæ noſtræ toti ſummam iniuriā,cōtumeliamq; factam eſſe: ac proinde etiam quiuis iudicare facillimè poßit, nihil hic leuiter, temere'ue à nobis factū eſſe, ſed culpa iſtiuſmodi potius hominū,intolerabili calūniandi,omniaq; ſurſum deorſum turbādi libidine prurientium, nos eò adactos eſſe, ne quid officio noſtro, quod Chriſto Domino noſtræq; Eccleſiæ debem⁹, omnino deeſſemus: ſed ueritati aduerſus ipſorum ſycophantias teſtimoniū aliquod innocētiæ noſtræ iſthac ſaltē ratione perhiberemus: ad diuini nominis gloriā, fratrumq; paßim omnium, illud ardentiß. indefeßiſq; uotis flagitantium, conſolationem. Interim orandus nobis eſt Deus et pater Domini noſtri IESV CHRISTI,ut iſthæc lamentoſa Eccleſiæ dißidia, diuina ſua gratia tandem componat: utq; omnes, quotquot Chriſtum Dominum profitentur, ad fidei unitatē perducat: quo unū ſapiant,loquanturq; in Domino noſtro IESV CHRISTO,iuxta mentē ipſius,ac ſpiritus ſancti,ad gloriam Dei patris regniq; ipſius perpetuum incrementum, Amen. Cracouiæ, Cal Februarij, anno 1559.

QVA

QVA OCCASIONE PEREGRINORVM Ecclesiæ Londini, per Eduardum Regem sint institutæ, ac demum post eius mortem dissipatæ.

Caput. 1.

Institutio peregrinarum Ecclesiarũ Londini.



POSTQVAM Diuino beneficio, uera Christi religio, auspicijs Diui EDVARDI, eius nominis sexti, Anno Domini 1548, ætatis uerò suæ 10, in Anglia ab Antichristianismo uindicari cœpit, & repurgari, ac in dies magis magisq; reflorescere: multi, Religionis nomine, undiquaque ex Cismarinis partibus Londinũ sese conferunt, ut tanto ueræ religionis, liberæq; cõfessionis beneficio fruerentur. Dum igitur numerus istiusmodi peregrinorũ, Belgici & Gallici potissimum idiomatis hominum (quorum bona pars rectà ex patria eò cõmigrarat: pars uerò aliqua ex superiori Germania, occasione interdecreti illius Interimistici, eò confluxeramus) Londini intra bienniũ fit frequentior: IOANNES A' LASCO, liber Poloniæ Baro, ipsis, atq; adeò aliorum idiomatum hominibus Ecclesias erigendi, easq; iuxta Dei uerbum instituendi, gubernandiq;, libertatem à Rege, regio alioqui diplomate confirma-

cõfirmatam, obtinet: quibus ipſe Regia autoritate, & unanimi peregrinarũ Eccleſiatum aſſenſu, propter ſingulares ipſius uirtutes, Superintendens pręficitur, ac confirmatur. Regium auté diploma ita habebat.

EDVARDVS SEXTVS DEI GRATIA Angliæ, Francię, Hibernię Rex, fidei defenſor, & in terra Eccleſiæ Anglicanæ & Hibernicæ ſupremum ſub Chriſto caput: Omnibus ad quos præſentes literæ peruenerint, ſalutem. Cùm magnę quædam & graues conſiderationes nos ad præſens ſpecialiter impulerunt: tum etiam cogitantes illud, quãto ſtudio & charitate Chriſtianos Principes in ſacroſanctum Dei Euangelium & religioné Apoſtolicam ab ipſo Chriſto inchoatam, inſtitutam et traditam, animatos & propenſos eſſe conueniat: ſine qua haud dubiè politia & ciuile regnum neq; conſiſtere diu, neq; nomẽ ſuum tueri poteſt, niſi principes, cæteriq; præpotentes uiri, quos Deus ad regnorum gubernacula ſedere uoluit, id in primis operam dent, ut per totũ Reipub. corpus caſta ſynceraq; religio diffundatur, & Eccleſia in uerè Chriſtianis & Apoſtolicis opinionibus & ritibus inſtituta atque adulta per ſanctos ac carni & mundo mortuos miniſtros conſeruetur: pro eo quòd Chriſtiani Principis officium ſtatuimus, inter alias ſuas grauiſsimas de Regno

ſuo

ſuo bene ſplendideq; adminiſtrando cogi-tationes, etiã Religioni, & Religionis cau-ſa calamitate fractis & afflictis exulib. con-ſulere. Sciatis, quòd non ſolùm præmiſſa contemplantes, & Eccleſiam à papatus ty-rannide per nos uindicatã in priſtina liber-tate cõſeruare cupientes: uerumetiam exu-lum ac peregrinorum cõditionem miſeran-tes, qui iam bonis temporib. in Regno no-ſtro Angliæ cõmorati ſunt uoluntario exi-lio, Religionis & Eccleſiæ cauſa mulctati: quia hoſpites & exteros homines propter Chriſti Euangelium ex patria ſua profliga-tos & eiectos, & in regnum noſtrum profu-gos, præſidijs ad uitam degendam neceſſa-rijs in regno noſtro egere non dignum eſ-ſe neq; Chriſtiano homine, neq; principis magnificentia duximus, cuius liberalitas nullo modo in tali rerũ ſtatu reſtricta, clau-ſa'ue eſſe debet. Ac quoniam multi Germã-næ nationis homines, ac alij peregrini qui cõfluxerunt, & in dies ſingulos confluunt in Regnum noſtrum Anglię, ex Germania & alijs remotiorib. partibus in quibus Pa-patus dominatur, Euangelij libertas labe-factari & premi cœpta eſt, non habent cer-tam ſedem & locum in regno noſtro, ubi cõuentus ſuos celebrare ualeant, ubi inter ſuæ gentis & moderni idiomatis homines Religionis negocia et res Eccleſiaſticas pro

patrio

patrio ritu & more intelligēter obire & tra ctare posſint: idcirco de gratia noſtra ſpeciali, ac ex certa ſciētia & mero motu noſtris, nec non de auiſamento Conſilij noſtri uolumus, cōcedimus & ordinamus, quòd de cætero ſit & erit unum templum, ſiue ſacra ædes in ciuitate noſtra Londinenſi, quod uel quæ uocabitur templū Domini IESV, ubi cōgregatio & cōuentus Germanorum & aliorum peregrinorum fieri & celebrari poſsit, ea intentione & propoſito, ut à miniſtris Eccleſiæ Germanorū aliorumq; peregrinorum ſacroſancti Euangelij incorrupta interpretatio, ſacramentorū iuxta uerbum Dei & Apoſtolicam obſeruationē administratio fiat. Ac templum illud, ſiue ſacram ædem illam de uno Superintendente & quatuor uerbi miniſtris erigimus, creamus, ordinamus & fundamus per præſentes. Et quòd idem Superintendens & miniſtri in re & nomine ſint & erunt unū corpus corporatum & politicum, de ſe per nomen Superintendentis & miniſtrorum Eccleſiæ Germanorum, & aliorum peregrinorum ex fundatione Regis Eduardi ſexti in ciuitate Londinenſi, per prę̨ſentes incorporamus: ac corpus corporatū & politicum, per idem nomē realiter & ad plenum creamus, erigimus, ordinamus, facimus & conſtituimus per prę̨ſentes: & quòd ſucceſsio-

nem

nem habeāt. Et VLTERIVS de gratia no- ſtra ſpeciali, ac ex certa ſciētia & mero motu noſtris, necnon de auiſamento Conſilij noſtri dedimus & conceſsimus, ac per præſentes damus & cōcedimus pręfato Superintendenti & miniſtris Eccleſię Germanorum & aliorum peregrinorum in ciuitate Londinenſi, totum illud templum ſiue eccleſiam nuper fratrum Auguſtinenſiū in ciuitate noſtra Londinenſi, ac totam terram, fundum & ſolum eccleſiæ prædictæ, exceptis toto choro dictæ eccleſię, terris, fundo & ſolo eiuſdem, habendum & gaudendū: dictum templum ſiue eccleſiam, ac cætera præmiſſa, exceptis pręexceptis, præfatis Superintendenti & miniſtris & ſucceſſoribus ſuis, tenendum de nobis, hæredibus & ſucceſſoribus noſtris, in purā & liberam eleemoſynam. Damus ulterius de auiſamento prædicto, ac ex certa ſciētia & mero motu noſtris prædictis per pręſentes concedimus, pręfatis Superintendenti & miniſtris & ſucceſſorib. ſuis plenam facultatem, poteſtatem & autoritatem ampliandi & maiorem faciendi numerum miniſtrorum, & nominandi & appunctuandi de tempore in tempus tales & huiuſmodi ſubminiſtros, ad ſeruiendum in templo prædicto, quales præfatis Superintendenti & miniſtris neceſſarium uiſum fuerit. Et quidē hæc om
ni

nia iuxta beneplacitum Regium. Volumus præterea, quòd Ioannes à Laſco natione Polonus, homo propter integritatem & innocentiã uitæ ac morum, & ſingularem eruditionem ualde celebris, ſit primus & modernus ſuperintendens dictæ Eccleſiæ: & quòd Gualterus Deloenus, Martinus Flandrus, Franciſcus Riuerius, Richardus Gallus, ſint quatuor primi & moderni miniſtri. Damus præterea & concedimus pręfatis Superintendēti & miniſtris & ſucceſſoribus ſuis facultatem, autoritatem & licentiam, poſt mortem uel uacationem alicuius miniſtri prædictorum, de tempore in tempus eligendi, nominandi & ſurrogandi alium, perſonam habilem & idoneam in locum ſuum: ita tamē quòd perſona ſic nominatus & electus præſentetur & ſiſtatur coram nobis, hæredibus uel ſucceſſoribus noſtris, & per nos, hæredes uel ſucceſſores noſtros inſtituatur in miniſterium prædictum. Damus etiam & concedimus præfatis Superintendenti miniſtris & ſucceſſoribus ſuis facultatem, autoritatem & licentiam, poſt mortem ſeu uacationē Superintendentis de tempore in tempus eligendi, nominandi & ſurrogandi alium, perſonam doctum & grauem in locum ſuum: ita tamen quòd perſona ſic nominatus & elect⁹ præſentetur & ſiſtatur coram nobis, hære-

dibus uel ſucceſſoribus noſtris: & per nos, hæredes uel ſucceſſores noſtros inſtituatur in officium Superintendentis prędictum. Mandamus, & firmiter iniungendam pręcipimus tam Maiori, Vicecomitib. & Aldermannis ciuitatis noſtræ Londonenſis, & ſucceſſoribus ſuis, cum omnibus alijs Archiepiſcopis, Epiſcopis, Iuſticiarijs, officiarijs & miniſtris noſtris quibuſcunq;, quòd permittant pręfatis Superintendenti & miniſtris, & ſua, ſuos liberè & quietè frui, gaudere, uti & exercere rit⁹ & ceremonias ſuas proprias, & diſciplinam Eccleſiaſticā propriam & peculiarem, non obſtāte quòd nō conueniant cum ritibus & ceremonijs in Regno noſtro uſitatis: abſq; impetitione, perturbatione aut inquietatione eorū, uel eorum alicuius, aliquo ſtatuto, actu, proclamatione, iniunctione, reſtrictione ſeu uſu in contrarium inde antehac habitis, factis, editis ſeu promulgatis in contrarium non obſtantibus. Eo quòd expreſſa mentio de uero ualore annuo, aut de certitudine præmiſſorum, ſiue eorum alicuius, aut de alijs donis ſiue conceſsionibus per nos præfatis Superintēdenti, miniſtris & ſucceſſoribus ſuis, ante hæc tempora factis, in præſentib. minimè facta exiſtit: aut aliquo ſtatuto, actu, ordinatione, prouiſione, ſiue reſtrictione inde in contrarium factis, editis, ordinatis

dinatis ſeu prouiſis, aut aliqua alia re, cauſa uel materia quacunq; in aliquo nõ obſtante. In cuius rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimꝰ patentes: Teſte me ipſo, apud Leighes, uiceſimoquarto die Iulij, anno Regni noſtri quarto: per breue de priuato ſigillo, & de datis prædicta autoritate Parliamenti.

P. Southvuell

Vn. Harrys.

Qualis uerò earum Eccleſiarũ fuerit cùm doctrina, tum gubernatio, facile erit æquo lectori intelligere ex libello, per Ioannem à Laſco iampridem ea de re in lucem dato: cui an quid in eo genere praxeos Eccleſiarum reſtitutarum uſpiam extet ſimile, ſanè ignoro. Cæterùm hic ſanctus & ſemitranquillus ſub puero Rege, Eccleſię ſtatus, nõ admodũ diuturnus in eo Regno fuit: quẽadmodũ id multo antè, propter populi ingratitudinẽ, diſciplinæq; Eccleſiaſticæ neglectum ac contemptum, futurũ prædixerant, quotquot in Anglia ſub Eduardo rege, Chriſtũ ſyncerè prædicabant: magnoq; ſtudio ueràm in populo pœnitentiam, ſed (heu) fruſtra urgebant: quorum quàmplurimi ueritatẽ doctrinę ſuæ, aut potius Chriſti Domini, ſuo etiã ſanguine publicè tandem ſunt conteſtati.

Itaq; poſt ſublatum anno 1553, Iulij 6, è

uiuis ſanctiſsimum illum Eduardum, æter na ſanè memoria dignũ Principem: Papiſmus, per ſororem ſuam Mariam (cui Eliza beta ex patre ſoror, pietate nihil inferior Eduardo fratre, poſt uaria fidei exercitia, in regnum, diuino beneficio, non ita pridem iure ſucceſsit) reducitur, aut potius retrahitur, tanta celeritate & crudelitate, ut miniſterium noſtrũ publicè amplius cum ſalute Eccleſiæ obire integrũ non eſſet. Rebusq; Eccleſię quotidie in deterius uergentibus, adeoq; iam deſperatis, non uidimus remedium aliud per nos (pro miniſterij noſtri fide) adhiberi poſſe præſentius, quàm ſi nos ante hyemem primo quoq; tempore peregrinis noſtris Eccleſijs alias alibi ſedes quæreremus, ubi miniſterium Eccleſiaſticum, iuxta Dei uerbũ, in Anglia cœptum, proſequi liceret.

Atq; hic primus omnium occurrebat omnibus nobis in Chriſti nomine cõgregatis, Chriſtianus, ſereniſsimus Danię Rex: apud quẽ nos impetraturos ſperabam⁹, quod antea pius ille princeps, uerusq; Eccleſię Dei nutricius Eduardus, in regno ſuo benignè cõceſſerat, ſed per tyrannidem Papiſticam iam ademptũ erat. Votum hoc noſtrum augebat: quòd duæ naues Danicę in Tameſi uacuæ, & nos recipere paratę, nihil aliud quàm uentum ſecundum in Daniam opperirentur.

rirentur. Præuidebamus quidẽ, quid no ſtram poſtulationem apud illius Maieſtatem fortè impedire poſſet: ſed tanti illud non æſtimabamus (præſertim de ſingulari quadam ipſius pietate, quæ paſsim prædicabatur, quàm optimè perſuaſi) ut eam propterea impeditam, aut negatam iri cogitarem⁹: maximè cum uel noſtra omnia Diuini uerbi autoritate approbare, uel de errore aliquo ex ſcripturis conuicti, melioribus, ut par eſt, locum dare ſtaret ſententia.

NAVIGATIO NOSTRA IN *Daniam.* *Cap.2.*

QVotquot igitur ad eam nauigationem accincti eramus, naues illas Danicas ingreſsi, 17 Septembris die Grauiſenna (quæ Londino uiginti miliaribus Anglicanis diſtat) ſoluimus: quò nos plurimi fratres Londino comitantur, ibiq; multis cum lachrymis nobis in Dei nomine bene precati ualedicunt. Dumq; ſublatis anchoris uela uentis damus, illi ipſi fratres (quorum nomine & fœminas comprehendo) montem proximũ conſcendunt, unde nos nauigantes eminus oculis ſequuntur: & ubi nos amplius nõ conſpiciũt, ſe precibus, pijs exhortationibus & cantioni Pſalmorũ multis cum lachrymis dedũt, atq; in uſum pauperum ſuorum eleemoſynas inter ſeſe colligunt. Hiſce autem & reliquis qui

Londini manserant Ecclesię Belgicę fratribus, ex uerbo Dei consolandis, relictus est Petrus Deloenus (Martini Micronij Flandri in uerbi ministerio collega) qui quidẽ hoc suum munus, quo est zelo ædificandæ Christi Ecclesiæ præditus, ad menses aliquot, maximo sanè uitæ suę periculo, fideliter obiuit: quemadmodum et apud Ecclesiæ Gallicę fratres, qui ibidem remanserãt, fecit Franciscus Riuerius, qui nunc Franco forti ad Mœnum in Ecclesia Gallica uerbi ministerio fungitur.

Porrò in utraq; illa naui Danica fuimus circiter 175 animæ, ex nostris potissimùm Belgis, ac item ex Gallis, adnumeratis interim aliquot Anglis & Scotis, qui se nobis adiunxerant. In mari autem aliquandiu unà iter nostrũ prosequebamur. Sed quarto Octobris die, minor nauis à nostra naui maiore, uento impetuosiore depulsa, Hellesnorgam, nobilem Daniæ portum, 13 Octobris die peruenit. Nos uerò in maiore naui, non solùm tribus grauissimis iactabamur tempestatibus, sic ut nulla planè spes euadẽdi reliqua cõspiceretur: sed iam commeatu prorsus etiam destituti, in desertum quendam Noruegiæ portũ (quem Flekero uocant) cœlo admodum nebuloso, per medios, eosq; frequẽtissimos scopulos, octaua demũ Octobris die, nõ sine graui periculo

riculo deferebamur. atque illic in caſulis quibuſdam, portui ſic ſatis uicinis, carnes, piſces, ac item nõnihil farinæ ægrè tandem nacti, nec nõ aquam dulcem, quorum omnium magna iam inopia laborabamus, per ſex dies totos uentum fœliciorẽ expectamus. Die autem 13 Octobris ubi uẽtus ſecundus ſpirare cœpiſſet, ex eo portu ſoluimus. Ac pridie q̃ ſolueremus, quinq; ex noſtris, metu famis naui egreſsi, per Noruegiam iter in Daniam pedites ingrediũtur. quos deinde pluribus noſtrûm, præ commeatus inopia, ſequi decretum erat: niſi ſi uentus, Dei beneficio, ſuam ſtationem mutaſſet. Quàm uerò pedeſtris illa profectio, per admirandos anfractus, perq; ſaxoſa illa, prorſusq; inuia loca fuerit difficilis, argumento eſſe poteſt, quòd unus illorũ tandem macie ſqualid⁹, ac mortui magis q̃ uiui hominis imaginẽ referens, non niſi poſt menſes fortè ſex primùm Haffniam appulerit. Cæterùm cum bidui itinere, ſuperatis inter Noruegiam & Cimbros maris anguſtijs, in mare plenis uelis ferremur, uento repẽtè in aduerſam ſtationem mutato, in alterum Noruegiæ portum, Malſtranenſem nomine, 14 Octobris die recipere nos coacti ſumus. Dum autem illic per totos dies decem, uento nobis aduerſante, hærere cogimur, nec ſpes ſecũdioris uenti adhuc af- *Malſtran.*

fulgeret: Ioannes à Lasco, Martinus Micronius & ego, quo ante sæuitiem hyemis ad Regem ipsum (quem in mediam Cimbriã secessisse rumor erat) perueniremus, cymbæ nosipsi committimus, ac secundum littus, itinere tridui primùm Vuarbergã (quæ est metropolis Halandiæ) deinde uerò Hellesnorgam 29 Octobris die peruenimus, unà cũ aliquot nostris fratribus, qui se nobis adiunxerant. Quò etiam paulo pòst nauis illa maior, quæ reliquos fratres nostros uehebat, salua diuino appellit beneficio.

Vuarberga.

Hellesnorga.

DE PROFECTIONE NOSTRA *ad Regem Daniæ, quæq; nobis ibi accidering.* *Cap. 3.*

POsteaquam Hellesnorgã peruenimus, intelleximus Regem procul adhuc abesse, qui nobis alioqui nostrarum Ecclesiarum nomine, ut illi sedes aliquas impetraremus, adeundus erat: nẽpe Coldingæ, in ea Cimbriȩ parte, quam Iudlandiã uocant, triginta tribus iuxta Danicam dimensionem, ab Hellesnorga miliaribus. Eò itaq;, Hellesnorga pridie Calendas Nouembres profecti, peruenimus octaua Nouembris die. Ac mox ut uenissemus Coldingam, Ioannes à Lasco rogari iussit Paulum Nouiomagum, Regium cõcionatorem, ne ad nos uenire grauaretur. isq; ubi tandem uenisset, atq; ex nobis de misera Ecclesiarum nostrarum

Condinga.

ſtrarum diſsipatione, longaq́; in mari, noſtri iactatione, & quo cõſilio ad Regem ſuũ ueniſſemus, audiſſet: commiſerari ſe, ait, noſtram Eccleſiarumq́; noſtrarum uicem, & ſibi eius nomine dolere: ſeq́; ſperare etiamnum, quòd Deus Opt. Maximus noſtris ita diſsipatis Eccleſijs, meliores fortè etiam ſedes datur⁹ eſſet. Quod uerò ad ſe attineret, ſe omni opera ſua nobis apud Regem ſuum ad cauſæ noſtræ commendationem adiumento futurum. Et ſi id uellemus, ſe mox curaturum, ut ad Regem protinus eodem ipſo ueſpere admitteremur. Nos porrò actis illi gratijs, pro ea ipſius commiſeratione, & tam amanti eius erga nos animi propenſione, reſpondemus, nos eo ueſpere nolle moleſtos eſſe Regi, cum alioqui iam ſerius eſſet: ſed oramus, det operá, ut poſtera die admittamur & audiamur, quod ipſum ſe nobis ille (quod in ſe quidem eſſet) curaturum eſſe dicit: atq; ita à nobis diſcedit.

Poſtera autẽ die nõ uocamur ad Regem: quanquam id auidè expectaremus. Quod cum uidemus, accedimus Cancellariũ Regis Germanicum, ac per illum rurſus poſtulamus ad Regem admitti, ab eoq́; audiri. Promittit porrò Cancellarius, ſe id diligenter curaturum. Eodem ipſo die à Nouiomago ſciſcitamur, num cauſam noſtrám apud Regem egiſſet, & quando nos admit-

tendos esse speraret? Ille uerò ait, Regẽ uoluisse quidem nos ea die audire: sed literas illi quasdam redditas esse, quibus legendis ita occuparetur, ut nos eo die audire non posset: Sed nos postridie omnino admittendos, audiendosq; esse. Nos porrò tum aliquid monstri ali suspicabamur: & non prorsus uanam fuisse hanc nostram suspicionẽ, postero demum die, quæ fuit decima Nouembr. plus satis experimur. Tum enim ad Regem, per quendam ipsius secretarium nomine Christophorum uocati, prius ad concionem prædicti Nouiomagi deducimur: cui & Rex ipse simul & Regina intersunt. In qua equidem concione Nouiomagus, qui se biduo antè uicem nostram dolere, adeoq; commiserari, sperareq; quòd nobis Dominus meliores fortè sedes daturus esset, ultro, disertis uerbis, testatus fuerat: & qui sua nobis officia apud Regem, ad nostri commendationem, adeò officiose detulerat: is inquam ipse (non ignarus alioqui, nos realem, ut uocant, iuxta ipsam substantiam corporis & sanguinis Christi naturalis, in pane & uino Cœnæ, delitescentiam non agnoscere) tanta in omnes interim impudentia inuehebatur, qui istiusmodi delitescentiam non agnoscerent: & corpus deniq; ipsum Christi Domini, dũ Cœna peragitur, in ipso Altari (quod digito cõmonstrabat)

Cõcio Pauli Nouiomagi, ad quam deducti fuimus.

ſtrabat) realiter ac corporaliter ſiſti atq; eſſe negarét, ut eos deploratiſsimis quibuſq; hæreticis adnumeraret, quorum finis eſſet interitus: à quibus pijs omnibus cauendũ eſſet, quiq́; digito etiam, ut uitarentur, com monſtrandi eſſent, quacunq; tandẽ pietate atq; eruditione præſtarent. Ab iſtis enim Chriſtum Dominũ mendacij accuſari, cum eos docere non pudeat, non eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, quę Chriſtus Dominus ore ſuo diuino corpus & ſanguinẽ eſſe teſtatur. Breuiter, quidquid de pſeudoprophetis, in ſcripturis uſquam habetur, id in nos totum impudentiſsimè detorquebat. Hæc nimirum fuit prima noſtri exceptio, priuſquam ad Regem admitteremur. A` cõcione porrò, dum ad Regem deducimur, ſecretarius, qui nos Regio nomine uocauerat, ac deducebat, à Ioãne à Laſco inter eundum petit, Ecquid nobis cõcio illa placuiſſet? Cumq́; id ſemel atq; iterũ urgeret, reſpondet Ioannes à Laſco: fuiſſe quæ nobis placerent, fuiſſe item in quibus nobis non ſatis eſſet factum: neq; tum plura dicebat, donec à Rege auditi eſſemus. Itaque dum ad Regem deducti ſumus, Ioannes à Laſco poſt datam nobis à Rege dexterã, ei rationem ſuſcepti noſtri ad ipſum itineris, paucis exponit, commendans ei diſsipatas noſtras Eccleſias: ſupplicationemq́; ei demũ,
nomine

nomine Ecclesiarum nostrarum in scripto offerens. Verbis aũt utebatur paucis, quòd Regem ipsum non usq; adeò bene erga nos affectũ esse (post eiusmodi præsertim concionem auditam) facilè esset obseruare. Porrò supplicatio ipsa, Regi per nos tradita, sic habebat.

Peregrinarum ecclesiarum Lõdini per Eduardum Regem institutio.

SERENISSIME PRINCEPS, inclite Rex, Domine clementiss. Causę petitionisq́; nostræ omnis summa hæc est. Dederat nobis gratiam Dominus in oculis sanctissimi pridẽ Angliæ Regis EDVARDI sexti (quo mundus hic planè dignus non erat) ut peculiares peregrinis omnib. Ecclesias in Regno ipsius obtineremus, quicunq; publicũ Verbi & Sacramentorum ministerium, unà cũ legitimo Ecclesiasticæ disciplinæ usu (iuxta doctrinam atq; obseruationem Apostolicá) habere inter sese, obseruareq́; uolebát. Constituerat nimirũ Rex ille Ecclesiarum nostrarũ ministros, qui lingua Germaniæ inferioris, Gallica item atq; Italica, Ecclesiastico ministerio publicè fungerentur. Tẽplum nobis etiam initio unum sumptibus suis non contemnendis apparatũ, omniq́; planè superstitione repurgatũ donauerat: ac mox demum illorũ numerum auxerat, posteaquá nos, propter linguarũ uarietatẽ, in uno eodemq́; tẽplo cõmodè simul esse, sine mutua inuicẽ ministerij perturbatione

ne nõ posse uideret. Ceremonias præterea nobis peculiares concesserat (etiamsi à patrijs ritibus diuersæ essent) quascunq; nos modò, iuxta uerbi Diuini doctrinam ad Ecclesiarum nostrarum ædificationem maximè facere, atq; ad puritatem Apostolicã proximè accedere iudicaremus. Potestatẽ adhæc nobis fecerat augendi deinceps sem per ministrorum quorumcunq; nostrorũ numerũ, pro eo ac id nostris Ecclesijs conducere uideremus. Postremò sub suã ipsius protectionem nos nostrasq́; Ecclesias ita receperat, propter nominis peregrinorum inuidiam, ut nemo nos omnino in illarum gubernatione ac ministerio impedire ullo modo remorariq́; posset. Hæc sanè ita omnia, pro sua nobis pietate cõcesserat Rex ille sanctissimus: Dignus proculdubio uel huius ipsius tanti beneficij nomine, cuius in peregrinos homines propensio ac beneficentia per omnes Ecclesias Christi celebretur, memoriaq́; sui nominis apud pios omnes sacrosancta planè habeatur, & immortalitati consecretur. Neq; uerò id nobis cõcessisse satis habuit Rex pientissimus: sed eam ipsam concessionem, iuxta prædicta capita omnia, Regio diplomate ac priuilegio suo (quod nobiscum habemus) confirmauit, & aduersus nostros aduersarios omnes constantissimè semper ipsemet, ad mul

torum

torum uſq; admirationem, ne dicam inuidiam,propugnauit.

Earundem eccleſiarũ in Anglia, poſt Regis mortẽ, diſſipatio.

At uerò tantum Dei beneficium nobis inuidit Satan, multo magis autem autorẽ & patronum illius, pientiſsimum inquam Regem illum: atq; ad eum è medio tollendum, diſsipãdasq; ſimul noſtras Eccleſias, & artes expediuit ſuas omnes, & conatus ſuos omnes intendit. Acceſsit autẽ magna etiam gentis erga Deum ingratitudo, pro donata illi opulentè (ſi uſquã alibi) Euãgelij luce. Qua equidem ingratitudine prouocatus Deus, & doctrinam uerbi ſui, & optimum ſimul eius cuſtodẽ illi ademit. Vnde demum factum eſt, ut & noſtræ etiam Eccleſiæ diſsiparentur, interdicto nobis ęquè atq; alijs noſtro miniſterio, publica Reginę autoritate. Sub hac porrò tali Eccleſiarũ noſtrarũ diſsipatione, cum neq; ſpem amplius ullam illarum illic retinendarum uideremus, etiamſi nos omnib. periculis exponere ipſi uoluiſſemus: imò uerò miniſterium noſtrum rebellionis ac perfidię crimine protinus infamandũ etiam, ſi quid modò contra decretum Reginæ tentaſſemus: nosq; pariter omnes non tam propter Religionis controuerſiam, quàm propter rebellionem potius capiendos eſſe intelligeremus: & interim nobis tamen pro fide noſtri miniſterij deſerendæ non eſſent noſtrę

Eccleſię,

Ecclesiæ, conuocauimus seniores ac diaconos omnes, consiliaq; nostra demũ omnia prçstantioribus ex nostris Ecclesijs uiris cõmunicauimus: ut quidquid omnino facturi essemus, id totũ inuocato Dei in primis nomine, deinde etiam unanimi omniũ cõsensu, ad gloriam Diuini nominis & Ecclesiarum nostrarum salutem faceremus. Visumq; fuit unanimiter omnib. melius longè, & ad illustrandam Dei in nostro ministerio gloriã opportunius fore, si sub tanta illic tyrãnide, alias poti⁹ ubiuis alibi sedes nostris Ecclesijs quæreremus (qua equidẽ in causa nobis Deus proculdubio nõ esset defutur⁹) q̃ si nos illic omnes, nostrasq; Ecclesias in discrimen certissimum temerè et sine spe fructus ulla conijceremus.

Consilium profectionis nostræ in Daniam *susceptæ.*

Ibi uerò constantissima de Tuæ M. pietate, studioq; erga ueram religionem testimonia nos planè omnes permouerãt, ut te potissimũ eum esse iudicaremus, qui afflictis nostris Ecclesijs in publica ista earum calamitate succurrere et uelis libenter, pro pietate tua: & pro dignitatis tuæ Regiæ præeminentia, facilè etiam possis. Ac ueniebat quidem nobis in mentem, fore et hic, apud Maiestatem tuam multa quæ causæ nostrç aduersari possent (ut nunc ferè nihil toto terrarum orbe, quod non uarijs suspicionibus ac calumnijs passim degrauetur) sed

omnes

omnes istiusmodi cogitationes facilè di-
scussit, animisq́; nostris prorsus exemit, so
la nostra de Tuæ M. pietate benignitateq́;
persuasio. Neque enim dubitauimus, fa-
cilè cessaturas esse apud Tuam M. omnes
aduersus nos suspiciones ac calũnias, ubi
Tua M. nobis etiam auditis, uiderit nostra
(ut speramus) omnia, certa ac solida uerbi
Diuini autoritate niti: cui nos semper alio-
qui nostra ultro hactenus subiecimus, ob-
seruatis publicè in nostris Ecclesijs doctri-
næ omnis nostrę approbationibus per pro
phetias publicas, ac scripturarum collatio-
nes: & subijcere adhuc parati sumus multo
libentissimè, neq; refugimus ulla omnino
pia Christianaq́; colloquia, à quibus modò
conuicia, probra ac calumniæ (quæ Chri-
stianos homines non usq; adeò decent) ex-
cludantur. Hac igitur de te persuasione fre-
ti, nobisq́; etiam bene conscij, Rex clemen
tissime, M. Tuam nobis potissimũ adeun-
dam, opemq́; illius in ea ecclesiarũ nostra-
rum afflictione implorãdam esse existima-
uimus. Interea uerò etiam sese nobis offe
rebat nauis Tuę M. Regiæ: qua sanè oblata
nos demũ, nihil aliud quàm Domino Deo,
nostrum de instituendo huc potissimũ no-
stro itinere consiliũ, probari omnino, adeó-
que ad illud etiam prosequẽdum nos, Deo
ipso autore, quodãmodo inuitari certò no-
bis

bis persuadebamus. Atque ita demum factum est, ut nostrum hoc iter ad Tuam M. ingressi simus, quicunque nauem ingredi poteramus: ea spe, ut non dnbitaremus Dominum Deum nostrum, causæ nostræ apud Tuam M. patrocinaturum esse, atque cor Tuæ M. erga nos nostrasq; ecclesias ita inclinaturum, ut quod nobis illic tyrannide Antichristiana ademptum est, id rursum in regno hoc apud Tuam M. impetrare alicubi, recuperareq; possimus. Eadem porrò spe nos etiamnum sustentamus, & Tuam M. per adorandum Domini nostri IESV CHRISTI nomen supplices obsecramus, ut uicem Ecclesiarum nostrarum in hac ipsarum dissipatione clementer commiserari, illisq; pro tua pietate sedem aliquam in Regno tuo, ac publicum ministerium (quali hactenus in Anglia, iuxta uerbum Dei usæ fuerunt) permittere digneris. Neque hic sanè quicquam aut indignum tua Maiestate, aut regno ipsius noxium, ullo modo postulare uidemur. Sed quod petimus, tuæ Maiestati honorificum prorsus, & Regno ipsius utile & decorum, denique & salutare omnino fore non dubitamus, siquidem id abs te impetrari patiaris. Verè regium est, succurrere afflictis ecclesijs Christi: quæ præsertim propter ueræ religionis

Petitio nostra.

c con-

confefsionem, & antea relictis omnibus ex patria profugæ; & nunc rurſum tyrannide Antichriſtiana propulſæ, ſuum apud te ſuffugium per mare & terras quærunt. Hoc enim potiſsimum nomine Reges, ueros ſe Eccleſiæ Chriſti altores eſſe declarant (quæ quidem ſumma eſt ipſorum dignitas) ſi uocationem ſuam rectè (ut debent) intueri uelint. Et quo hic minus ſuo ſatisfacunt officio, hoc certè minus ſuæ ipſorum dignitati reſpondere (ipſiuſmet Scripturæ teſtimonio) cenſentur.

Peregrinis præſtanda humanitatis officia. Quantum autem commodi atque utilitatis ſecum adferant tam publicè quàm priuatim collata in peregrinos homines beneficia, qui (Chriſti præſertim nomine) aliunde propulſi, noua ſibi receptacula alibi quærunt: id equidem pluribus locis ſcriptura ſancta, potiſsimum autem
Matt. 10. d ipſemet CHRISTVS Dominus in Euangelio teſtatur, dum ſine mercede fructuq; ſuo ne poculum quidem aquæ frigidæ dari poſſe uni ex minimis ſuis docet. nimirum ut intelligamus, tanto plura nobis, & quidem certò à CHRISTO Domino expectanda eſſe, ſi non aquæ modò poculum, ſed ipſum etiam hoſpitium, non uni tantum alicui membro CHRISTI, ſed multis in unum myſticum corpus

pus ipsius collectis præbeamus. Atque humana quidem ratio huic Dominicę promissioni non facilè assentiri potest: & noxium potius multis nominibus esse iudicat, si peregrinos homines ad nos passim recipiamus. Sed apud Christianos homines, ac multo magis Principes, non tantum ualere debent quamlibet speciosa rationis nostræ consilia, ut doctrinæ ac promissionibus Christi fidem abrogent quoquo modo. Quin potius statuendum est, nihil nobis à nostra industria prudentiaq; expectandum esse omnino, nisi illi Dominus ipse benedicat. Non benedicit autem proculdubio, nisi iuxta promissiones suas, in quibus sanè mentiri nunquam potest. Si uidua illa Sareptana, in Helia 3.Reg.17.
admittendo, rationis suæ consilium sequi uoluisset, non equidem nisi unius diei cibum cum sua familia reliquum habuisset. Cæterùm Helia admisso, nihil illi defuit, ac protinus unde se & suam familiã abunde aleret habebat: nõ equidem ullis rationis suæ consilijs, sed gratuita benignitate Dei: eo quòd illius Prophetam, eumq; peregrinum ad se uenientem, in summa etiam rerũ angustia recepisset. Sic & pio illi Pharaoni, qui Iosephum agnouerat, adeò Gen.47.
noxium non fuit, Iacobũ cum uniuersa ipsius familia in regnum suum aduocasse, etiam-

ſi id humana alioqui ratio planè diſſuaderet: ut ſua omnia in Ioſephi manibus ſupra modum multiplicari, proſperariq; uideret. Contrà uerò alteri Pharaoni, qui Ioſephũ non nouerat, exitiale prorſus erat, eandem ipſam Iacobi familiam (cõduplicata ipſius ſeruitute, iuxta prudentiæ ſuæ conſilium, ac neſcio quas ſuſpiciones) opprimere uoluiſſe. Ita uidelicet potens eſt Deus, aduerſus omnia rationis noſtræ conſilia, ut quæ illa omnium maximè noxia eſſe iudicat, ea ipſe omnium maximè proſperet, ſi eum audiamus: ac rurſum irrita faciat noſtra omnia, denique & nos ipſos ad extremum puniat, ſi noſtra conſilia ſuæ uoluntati anteponere pergamus.

Exo. 1. 2. 3. Actor. 7.

Petitio repetitur.

Iam uerò, nos non alio ullo, quàm CHRISTI Domini ſolius nomine receptaculum quærimus apud Tuam M. pro diſsipatis noſtris Eccleſijs, & ut publicum ſuum miniſterium (quale hactenus iuxta uerbum Dei in Anglia habuerunt, ſub tua etiam Maieſtate alicubi habere poſsint. Parati autem ſumus, & doctrinam noſtram & ritus noſtros approbare uerbi Diuini autoritate: noſq; pijs omnibus (per Dei gratiam) ſatisfacturos eſſe non dubitamus. Parati ſumus item (ſi id præſtare non queamus) diſcere ac ſequi meliora, per quoſcunque tandem, è uerbi diuini fontibus profe-

proferantur. Non noſtram ipſorum, ſed CHRISTI gloriam quærimus: multoque libentiſsimè humana in nobis (etiam cum noſtri pudefactione, agnoſcemus omnia, ſi modò CHRISTI Domini gloriã, in ſua doctrina, p noſtri pudefactioné illuſtrari uerè uideamus. Illum enim creſcere, nos autem minui oportere, libenter cum Ioanne Baptiſta profitemur. Breuiter, ſocietaté Chriſtianam expetimus, non ſchiſmata: coniunctionem, non diſsidia, quæ utinam ſemel aliquãdo ad Chriſti gloriam componãtur. Tuæ uerò Maieſtati fidem, ſubiectionem atq; obedientiam cum Dei gloria coniunctá pollicemur. Hæc ſanè in Anglia ita præſtitimus omnia (ſit Deo gratia) ut ne aduerſarij quidem noſtri, etiamſi id uariè conaré tur, nos hac in parte meritò accuſare ullo modo poſſent. Eadé uerò et hic nos ita præſtituros eſſe (per Dei gratiam) confidimus, ut nihil & hic in nobis à tua Maieſtate deſiderandũ eſſe ſperemus. Atq; hæc ad cauſæ noſtræ commendationem ſufficere in præſens putamus: quæ eiuſmodi alioqui eſt, ut preces ad Deum potius quàm ullum uerborum apparatum poſtulare uideatur. Quod igitur ſupereſt, Deum ſupplices per nomé unigeniti filij ſui oramus, ut qui corda Regum omnium in ſua manu habet: idẽ etiam tuę Maieſtatis cor excitet, conſiliaq;

Ioan. 3. d

illius omnia dirigat, ac gubernet in causa hac nostra, alijsq; praeterea omnib. ad gloriam adorãdi sui nominis, Ecclesiaeq; Christi aedificationem, & tuam ipsius salutem. Amen.

Tuae serenissimae Maiestatis Regiae
humiles & addictissimi,
Ioannes à Lasco, Ecclesiarum dissipatarum Superintendens, manu mea propria.
Martinus Micronius, dissipatae in Anglia Ecclesiae Germanicae minister.
Ioannes Vtenhouius, eiusdem Ecclesiae senior.

¶ Hac Rex supplicatione accepta, respondet se clementer id à nobis accipere, quòd fiducia suae pietatis ad Regnũ ipsius uenissemus: esseq; gratum ipsi aduentum nostrum: se tamẽ de nostra supplicatione deliberare uelle, ac deinde responsum nobis ad nostrã supplicationẽ aut p seipsum, aut per suos consiliarios daturum esse.

Duodecima porrò Nouembris die, cum neq; responsum ullũ Regium haberemus, neq; sciremus quãdo illud nobis expectandum esset: non putauimus nobis amplius dissimulandam esse nostri, per Paulum Nouiomagum factam condemnationem. Petimus igitur ab eo ipso secretario, qui nos ad cõcionem, ac ad Regem demum ipsum deduxerat, ne ad nos uenire grauaretur, dum illi

illi commodū esset. Venitq; ad nos à prandio, eodem ipso die. Ibi dicit Ioannes à Lasco, se nuper ab ipso interrogatū fuisse, ecquid nobis concio Nouiomagi, ad quā per ipsum iussu Regio deducebamur, placuisse: seq;, ubi id semel atq; iterum congeminasset, aliud ei non respondisse tum, quàm quòd nobis in quibusdā placuisset, in quibusdam uerò non satisfecisset. Ac tum quidē studiò se ipsi plura nō respondisse, quòd de ea Nouiomagi concione nō prius quicquam agendum esse cogitasset, quàm à Rege auditi essemus. Postea uerò quàm nullū adhuc responsum datū esset, & fieri posset ut post acceptū responsum nō diu ibi mansuri essemus, uisum esse nobis, ut secum iā de concione illa Pauli Nouiomagi ageremus. Et quemadmodum ei antè responderat, fuisse quæ nobis in ea concione placuissent, fuisse etiam quæ nobis non satisfecissent: ita se hoc ipsum illi denuò repetere, adeoq; & addere etiā, quòd fuissent prȩterea quæ nos grauiter offendissent, & de quibus cum ipsomet Paulo libenter agere uellemus. Atqui nobis gratius multo futurum, si soli cum solo priuatim agere possemus. Sed quoniam ab ipso publicè dicta fuissent, quæ nos grauiter offenderunt, & in suspicionem quandam fortè etiam turbarū per nos excitandarū rapi posſit, ſi quid cū

De cōcione Pauli Nouiomagi colloquium petitur.

ipſo priuatim ſoli, inſcio Rege, agamus: petere nos ab ipſo ſecretario, ut Regi ſuo, aut Regio ſaltem cancellario exponat, nos cupere cum Nouiomago de ipſius concione, cui adfuiſſemus, colloqui, ſi id cum bona Regis gratia impetrare poſsimus. Nos uerò ſine uoluntate Regia nihil iam uelle agere: ſed petere, ut aut Rex ipſe nos colloquẽtes audiat, aut aliquos è ſuis deſignet, qui colloquio adſint. Nos itaq; orare, ut noſtro nomine ea de re, aut cum Rege ipſo, aut cum Cancellario agere uolet. polliceturq; nobis Secretarius hac in parte ſuam operã, ſe Regi ipſi, aut ſaltem Cancellario indicaturum eſſe. atq; addit, ſe quidẽ certò neſcire, quo conſilio Nouiomagus ſuam cõcionem ad eum modum inſtituiſſet: ſed ſe putare, quòd occaſionẽ ita quærere uoluerit, pluribus de eo, quod tractabat, argumento nobiſcũ colloquendi: ſe uerò nobis poſtea mentem, hac in parte, Regiã, ſimulatq; illam cognouiſſet, renunciaturum eſſe. Id quod nos per biduum totum expectamus. Die uerò quartadecima Nouembris, ad nos redit idem ipſe Secretarius: ſeq; noſtram de colloquio cum Nouiomago habendo, petitionem Cancellario expoſuiſſe narrat. & ſpem nobis facit, nos quidem illud obtenturos eſſe, uerùm non ante biduum: ad noſtram tamen ſupplicationem nos poſtera

die

die responsum Regium habituros esse.

DE REGIA AD NOSTRAM SVPPLI-
cationem, & nostra uicissim ad illam responsione.

¶ Quintadecima porrò Nouembris die uocamur ad Cancellarium, & ad Consiliarios quosdam Regios. Aitq; Cancellarius, sibi & eis qui secum erant, datum esse id negocij à Rege, ut nobis ad oblatam per nos suæ Maiestati nostram supplicationem respōdeant: petens æqui boniq; cōsulamus, quæ nobis dicturi sint. Se ministrorum hac in parte officio fungi, nempe ut referãt quę ipsis imperata essent. Tandem dicit, Regem intellexisse, quę in nostra supplicatione continerentur: & uoluisse ut sic responderetur· Nempe, Regem dolere uehementer de Ecclesiarū nostrarum in Anglia dissipatione. Gratulari item nobis Maiestatem suam, quòd ad Papismum relapsi non essemus: & cupere præterea declarare etiam erga nos et nostros clementiã suam Regiam, qua parte id facere posset. Cæterùm publicum ministeriū nostris Ecclesijs se permittere non posse, cum rituū præsertim ac ceremoniarū uarietate: idq; has potissimum ob causas. Primùm, quòd Rex sibi persuadeat, Regni sui ceremonias uerbi Diuini doctrinæ cōsentaneas esse: & proinde alias non permittendas. Deinde, quòd cum tot

iam annis quietè illis in Regno ſuo Rex uſus eſſet, noxiũ id fore putaret regno ſuo, ſi diuerſas ab illis ceremonias admittat. fieri enim nõ poſſe, quin homines uiſa earum diuerſitate commoueantur: quod ſine periculo fortè fieri non poſſet. Proinde nõ poſſe Regem peculiare ullũ miniſteriũ noſtris Eccleſijs permittere quoquo modo: nolléque ipſum, ut hac in parte nobis quicquã omnino permittamus, præter uoluntatem atq; autoritatem Maieſtatis ſuæ. ſed ſi aut nos, aut noſtri, receptis in Regno ſuo ceremonijs, receptoq́; miniſterio uti, ſimulq́; & doctrinam iamdudum receptam ſequi: ac iura præterea Regia omnia, publicasque regni ordinationes omnes obſeruare uellemus, tum nobis receptaculum à Rege in regno ipſius conceſſum iri. Rurſum ſi aliò migrare uellemus, non defuturũ nobis eſſe fauorem Regium, ad noſtri commendationem. Hæc ſumma eſt omniũ quæ nobis dicta ſunt nomine Regis. Nos autem poſtulamus, nobis dari tempus deliberandi paululum inter nos, de reſpõſione: idq́; nobis conceſſum eſt.

Sextadecima autem Nouẽbris die, poſteaquam redegimus in ſcriptum præcedentem reſponſioné, obtulimus eam conſiliarijs, quam illi eandem fuiſſe facilè agnouerunt; ac demũ noſtram uiciſsim reſponſio-

nem,

nem, præſente Cancellario, ex ſcripto recitauimus ad hunc modum.

¶ Oramus, ut boni id conſulatur, quòd & Maieſtati Regię reſponſionē nobis datā, & noſtram uiciſsim, etiamnū in ſcriptum redegerimus. Memoria noſtra eſt labilis: & ſunt eiuſmodi nunc tempora, ut nihil ferè ſit tutum à calumnijs uſquam. Quare conſultius fore putauim⁹, ut ſcripto noſtra omnia ageremus. Præterea quemadmodum D. Cancellarius ea præfatione uſus eſt, ut æqui boniq; cōſulerentur à nobis omnia, quæ Maieſt. Regiæ nomine ut miniſter dicturus erat: ita & nos ſupplices oramus, ut Regia M. pro ſua pietate, æqui boniq; cōſulere dignetur, quę nos pro noſtri erga CHRISTVM Dominum, Regem regum omniū, eiusq; Eccleſiá, miniſterij fide, ſumma cum obſeruantia dicturi ſumus. Ac primùm, quemadmodum gratias egimus M. Regię, ita & nunc denuò agimus, quòd uicem noſtrarum Eccleſiarum clementer indoleat, quodque nobis ad Papiſmum non relapſis gratuletur. Cauſas porrò negati noſtris Eccleſijs publici illarum miniſterij, in Anglia nobiſcum adhuc perpenderamus. ſed non putauimus, ac ne nunc quidem putamus, noſtræ illas poſtulationi, iuxta uerbū Dei, opponi poſſe, aut etiam debere: ab eo præſertim Rege, qui ſe non tam mundi iudicium,

cium, quàm uerbi diuini doctriná potius
ſequi uelle ꝓfitetur: & de cuius pietate, ac
ſingulari ſtudio propagandæ indies magis
ac magis uerę Religionis, optima quęq; no
bis ſemper pollicebamur, ac nũc etiá polli-
cemur. Nõ putamus aũt hęc nobis ita oppo
Ceremonia rum uarie-tas. néda eſſe, propter cauſas infrà ſcriptas. Pri
mùm, ꝙ uarietas ceremoniarũ non obſtet,
quo minus omnes uerbo Dei ſint conſen-
taneæ, modò ut ſecundum fontes uerbi Di
uini ad ædificationé eccleſiarum inſtituan
tur: ſemelq́; inſtitutæ, quoties id uel Reli-
gionis incrementa, uel Eccleſiarum neceſ-
ſitas, uel etiam utilitas poſtulant, repurgen
tur, mutétur ac corrigantur. Non enim Ec
cleſiæ ſeruiunt ceremonijs, in Euangelio
Chriſti: ſed ceremoniæ Eccleſijs. Eſt enim
Lucæ 6. Dominus filius hominis etiam Sabbati.
Quare non putauimus primam negati no-
bis miniſterij cauſam meritò nobis oppo-
ni poſſe, aut etiá debere. Sed cogitabamus
M. Regiam poſtulaturam eſſe, ut noſtræ ce
remoniæ cum Regni eius ceremonijs con-
ferri poſſent: & qua parte aliæ alijs purio-
res eſſent, plusq́; ædificationis habere, ex
uerbo Dei iudicarentur, hac parte aliæ alijs
cederent, quatenus id cum pace Eccleſia-
rum fieri poſſet: aut ſalté aliæ alias ad tem-
pus tolerarent. Neq; putauimus R. M. in ea
ſentétia eſſe, ut receptas ſemel ceremonias
nunquam

nunquam amplius repurgari magis ac magis uellet, propterea quòd uerbo Dei cōsentaneæ essent. Fit enim non rarò, ut dum initio restituuntur Ecclesię, multa permittantur etiam iuxta uerbum Dei, propter Ecclesiæ ueluti infantiam quandam: quæ tamen postea, iuxta idem ipsum uerbum Dei, retinere non licet. id quod in usu circumcisionis sub Apostolis ipsis factum uidemus. Vt enim ineptè quis cibum solidum infantib. obtrudat: ita non minus ineptè etiam adultis lac perpetuò pro cibo offerat. Quod uerò ad periculum perturbandæ tranquillitatis publicæ, propter ceremoniarum uarietatem, attinet: non putauimus, ac ne nunc quidem putamus, M. Regiam æstimaturá esse publicam Regni sui tranquillitatem ex ceremoniarum humanarum obseruatione: cum huius consilij fontes nusquam in Scripturis reperiātur, imò uerò etiam reprehendantur. idq; eo minus putauimus, quòd nostrarum ceremoniarū diuersitatem, ad maiorem adhuc cultus diuini repurgationem nō leuiter cōducere existimemus: id quod in Regno alioqui Angliæ per nostras Ecclesias abundè est declaratum. Nihil sibi à tranquillitatis perturbatione metuebat Iosias, rex laudatissimus, dum receptas anno octauo ætatis suæ ceremonias bis atq; iterum corrigeret ac repurgaret. Et certum est, pla- *4. Reg. 13. d* *2. Paralip. 35. d*

gas

gas publicas in CHRISTI ecclesiam immitti, non propter immutationem, ne dicã diuersitatem humanarum ceremoniarũ: sed propter contemptũ Dei, & ecclesiæ ipsius: cuius sanè nos membra esse, per Dei gratiã non dubitamus. Quare ne secundam quidem negati nobis ministerij nostri causam opponi nobis meritò, & iuxta uerbũ Dei, posse putamus. Neq; uerò hæc commemoramus, quòd malè nos quoquo modo habeat, ita nobis esse responsum. Nos Domino nostra cõmittimus omnia, & ex eius manibus omnia expectamus, quæ in nos permittere omnino uolet. Fatemur nos grauiora longè meritos esse, & proinde illi alacribus animis gratias pro omnib. agimus. Neq; nos pudet contẽni, rideri ac damnari pro illius nomine: certiq; sum⁹, quòd ipsius sit terra, & plenitudo eius: & rogamus, ne nobis libertas hæc nostra uitio uertatur.

Quod autem nobis hic receptaculũ permittitur, si doctrinã ac ritus Regni huius obseruare uelimus: nos sanè hoc etiam nomine Maiestati Regiæ magnam gratiam cum omni reuerentia habemus. Ac quod ad doctrinam attinet, libenter omnem doctrinam amplectemur, quæ modò è fontib. uerbi diuini petatur & deducatur. Sed Maiestati Regiæ confidimus, illam (pro sua pietate) ad nihil nos coacturam esse, in do-

De doctrina.

ctrinæ

ſtrinæ capitibus, quod certa ac ſolida uerbi diuini autoritate comprobari non poſsit. Doctrinæ enim ſanę ueritas petenda nobis eſt; non ſanè è Regnorum, ſed ex uerbi diuini certa ac ſolida autoritate. Quod uerò ad ritus, cæremoniasq; noſtras attinet, ora *De ceremoniijs.* mus, ut noſtræ cum patrijs hic ceremonijs cõferantur: & quatenus nobis oſtendatur, Regni huius ceremonias noſtris puriores eſſe, atq; ad ædificationem Eccleſiæ magis conducere, multò libentiſsimè illas amplectemur: confidimusq; & hic pietati Regię, nos non eſſe cogendos à purioribus ad impuriora: multo minus ad ea, quę plus offendiculi quàm ædificationis ſecũ adferre poſſint. Atq; hæc nõ dubitamus pietati Regię ſatisfactura eſſe, ad atteſtandam noſtrá gratitudinem erga ſuam clementiam, qua nobis & noſtris receptaculum hic permittere uelle clementer declarauit: neq; nos credimus Maieſtatem eius id à nobis poſtulaturam eſſe, ut præter certam ac ſolidam uerbi Diuini autoritatẽ aliquid omnino ſequi in eius gratiam debeamus.

Non recuſamus autem, quin potius expetimus pia, modeſta & Chriſtiana colloquia, cũ quibuſcunq; M. Regia uolet, tam de doctrinæ capitibus omnibus, quàm de noſtris ceremonijs. Non enim lucẽ ullam (bene alioqui nobis cõſcij) refugim⁹ quo-

quo

quo modo. Sed interim oramus per nomen CHRISTI Domini, ut per hanc saltem hyemem Ecclesię nostræ uerbi ac baptismi ministerium uno aliquo loco habere possint. Cogitet M. Regia, quàm res misera sit, Ecclesiam, quę Religionis nomine, pietati suæ Regiæ confisa, huc uenit, hoc anni tempore, cum familijs totis, totaq́; supellectili, carere uerbi ministerio ac cõsolatione: cum sit rudis linguæ huius patriæ, & sit exposita omnium inuidiæ. Testetur hic saltem M. Regia, eam quam præfert condolescentiam erga nostras Ecclesias: idq́ue propter CHRISTVM, qui hoc beneficiũ cumulatissimè rependet. Oramusq́;, ut clemens ac benignum respõsum primo quoq; tempore habere possimus.

¶ Ad hęc nobis Cancellarius respondet, Regem iam ita statuisse, ut non sit ulla mutatio expectãda, quidquid alioqui adferremus. Se quidem intellexisse nostrũ responsum: atq; id se Regi etiam uerbis expositurum fideliter esse. Scriptis autẽ nostris nullis opus ad eam rem esse, neq; enim illis Regem opus habere: qui alioqui certus esset, se uerbi diuini puram ac synceram doctrinam habere. Neq; admissurũ esse ullas de Religione disputatiões, ulla'ue colloquia. Neq; item permissurum ullã in ritibus uarietatem, aut immutationem; sub quorum

rituum

rituum obseruatione tot iam annos Regna sua in optima pace & tranquillitate gubernasset: & quos, conuocatis in hoc præstantissimis quibusq;, Ioanne Pomerano nimirum, & alijs magni nominis uiris, ut iã in usu erant, instituisset: adeò ut non dubitaret, eos etiam uerbo Dei cõsentaneos esse. Ac proinde sibi non uariandum esse, quod alioqui in Regno purum omnino ac syncerum haberet. Neq; nobis cogitandum esse, Regem ullo prorsus modo passurũ, ut publico Ecclesiæ nostrę ministerio, in Regno suo, uel nos fungi omnino possimus, uel quiuis etiam alius, præter ordinatam ab ipso uocationem: Atq; huic rei ita iam per Regem prospectum esse, ut impunè non sit futurũ, si quis aliquid huius tentare uellet.

¶ Ad hęc respondemus, nos ea omnia nõ ab hominibus, sed à Deo ipso, & ex illius manibus accipere, illiq; pro omnib. gratias agere: ac clementiam ipsius, uereq; paternã misericordiam in ijs omnibus agnoscere, cùm nos longè grauiora meritos esse non ignoraremus: & certi essemus, ipsius esse terram & plenitudinem eius. Quòd autẽ ad uerbi diuini puritatem attineret, nos nõ minus illi, in omni nostra doctrina fidere: et proinde non quæuis recusare colloquia: adeoque nos etiam optare, tam id uerum esse omnino, quod de uerbi puritate in Re

gno Danico dictum esset, quàm constanter id affirmari audiremus. Sed multum interesse inter præsumptionem quandam, & ueritatem ipsam. Atq; hic demum de Nouiomago agere cœpimus. Quòd uidelicet per Christophorũ Secretarium Cãcellariò, aut etiam ipsi Regi significassemus, esse in quibus Nouiomagus in sua concione nobis non satisfecisset: in quibus item doctrina sua nos offendisset, et aduersum nos peccasse etiã nobis peculiariter uisus esset. Hęc nos in scriptum redegisse, quod cum bona Regis gratia, uel ab ipsomet Rege accipi, (ut qui concioni ipse cum suis omnibus interfuisset) uel Paulo ipsi tradi postularemus. Cancellarius uerò respondit, se quidem ea omnia dudum à Christophoro secretario cognouisse. Sed sibi non uideri, ut cũ Rege ea de re ageret: quòd intelligeret, animũ Regis ea re magis offensum iri: neq; nobis benè cessurum esse, si hęc nomine nostro Regi proponerentur. ac proinde ne quid causæ nostræ incommodaret, noluisse se quicquam ea de re cum Rege agere: se tamen acturũ esse, si omnino uellemus. Nõ uideri tamen sibi, nos iustã habere causam accusandi Nouiomagum, qui nihil de nobis nominatim, sed omnia in genere dixisset. Non esse nostrum, ut nos ipsi in nos dicta esse affirmemus, quæ in genere dicta essent.

De cõcione P. Nouiomagi.

ſent. Si tamē omnino uellemus rem indicā ri Regi, ſe id quidem facturum eſſe: ſed ſe uereri, ne nō bonum ſucceſſum res habitura ſit. Ibi reſpōdemus, multa à Nouiomago ita dicta eſſe, ut nemo tam ſtupidus ſit, quin facillimè intelligat, in nos dicta fuiſſe. Deinde Paulū nō ignoraſſe, nos in ea eſſe ſententia, quam ita damnaſſet. Poſtremò, nos nec noſtra ſpontè, ſed per Regem uocatos, ad concionem ueniſſe. In cuius præſentia cùm nos damnari audiuiſſemus, nobis non licere eſſe mutis, niſi ſi ſimul condemnationi illi aſſenſi fuiſſe uideri uelim⁹. Et cum in miniſterio Eccleſiaſtico uerſemur, nos (pro fide noſtra erga noſtras Eccleſias) nō poſſe hic tacere: nosq; indignos fore quos terrà ſuſtineat, ſi hìc taceamus. Oramus itaque ut res tota Regi indicetur: nobisq; cum Nouiomago colloquiū, adhíbitis quos Rex uellet teſtibus, ꝑmittatur. Nos ſucceſſum in manu noſtra nō habere: ſed eum Domino nos permittere, quicunque tandem is futurus eſſet. Cæterùm nos hic intueri oportere debitum & officiū noſtrum, pro miniſterij noſtri fide & dignitate, in Eccleſia Chriſti. His auditis, recuſat nihilominus Cancellarius ſcriptum noſtrū in concionem Nouiomagi accipere, ut ad Regem perferat: ſe tamen Regi rem totam indicaturum pollicetur, & nobis ſignifica-

turum hac in parte menté ac uoluntatem Regis. Atq; interim ſubinde multa de puritate Doctrinæ in Dania, repetit: ac in cauſa ipſa Sacramentaria, uerba illa Cœnæ ſolennia, clara eſſe: et proinde neminẽ falli poſſe, qui illis ſimpliciter nitatur. Sed ád ea illi reſpondemus, ipſummet Nouiomagũ ea ipſa concione docuiſſe, & quidem rectè, ueritatem cuiuſq; doctrinæ probandam non eſſe unius alicuius loci in Scripturis teſtimonio, ſed unanimi totius Scripturæ conſenſu. Nõ rectè igitur urgeri ſola Cœnę uerba, ad ſtatuẽdam, ſub pane, naturalis, iamq́; glorificati corporis CHRISTI deliteſcentiã, cui uniuerſa alioqui Scriptura manifeſtè repugnet: præſertim uerò, cum Cœnæ uerba alias, easque plures cum Scripturis alioqui conſentientes interpretationes facilè admittãt. Atq; hic fuit ſanè noſtri cũ Cancellario & reliquis conſiliarijs colloquij eo die finis. Poſtea uerò Rex, eodem ipſe die, ſcriptum ipſum mox à nobis poſcit, miſſo ad nos Secretario: cui illud damus. Scriptũ autem habebat ad hunc modum.

De uerbis Cœnæ.

¶ ANNOTATA IN CONCIONEM P. *Nouiomagi, habita corã Chriſtiano, Rege Daniæ, 10 Nouembris die, Anno 1553. ſuper loco Pauli Apoſtoli: Pariter eſtote imitatores mei, uſq; ad finem. Cap. Philippenſ. 3.*

Ordinem, quem ille in docendo obſeruauit,

pit, non ſequemur: hoc enim cauſa noſtra nunc non patitur. ſed doctrinam, quam ex illo audiuimus, ita partiemur, ut primùm dicamus, quæ nam ſint, quæ nobis in doctrina illius placuerũt: quæ nam item, quę nobis non ſatisfecerunt: quæ nos præterea offenderũt: & in quibus aduerſum nos peculiariter peccaſſe, præter legem charitatis Chriſtianæ & doctoris eccleſiaſtici officiũ, nobis uidetur.

Quæ nobis placuerunt.

Docuit, doctrinæ omnis ueritatem non uno aut altero loco, ſed toti⁹ ſcripturæ con ſenſu probandam eſſe: & eam demum pro uera doctrina haberi debere, quæ ſic appro betur, RESPONSIO: Huic articulo modis omnibus aſſentimur: & optamus omnes illius ſemper eſſe memores in omnib. doctrinæ controuerſijs, ne uſquam ſepta illius tranſcendant. *Doctrinæ ueritas quo modo probanda.*

Docuit, patres orthodoxos noluiſſe ut ſibi crederetur, niſi quaten⁹ doctrinã ſuam ſanctis ſcripturis ad eundẽ modum approbaſſent: hosq; doctorib. nunc etiam eccleſiaſticis omnibus hac in parte imitandos. RESP. Et hoc ita placet, ut ab omnib. nunc eccleſiarum, ſine exceptione, doctorib. obſeruari id, eosq; intra fines huius exempli patrum ſanctorum conſiſtere cupiamus. *Doctorib. tantum creditur, quantum allegant.*

Docuit, ſequẽdum eſſe Paulum Apoſto-

Paulus Apostolus Ecclesiæ ministris imitandus est.

lum ministris Ecclesiarum omnibus, in eo quòd ille tantum se tradidisse docet, quod à Domino acceperat. RESP. Assentimur & his, modis omnibus: & quo magis id urgeri audimus, hoc magis miramur, hic retineri multa in Ecclesijs, quę à Domino accepta esse non legimus: & rursum omissa esse multa, quę à Domino & eius Apostolis tradita esse constat.

Pseudodoctorum notæ tres.

Docuit, falsorum doctorum tres à Paulo notas tradi· quòd sint inimici crucis CHRISTI: siue dum uim ac meritũ mortis Christi, sua doctrina obscurãt: siue dum crucem Christi propter opes honores'ue refugiũt, atq; etiam oderunt·quòd suam ipsorũ gloriam quærunt· & quòd uentri suo seruiũt, qui ipsorum Deus est. RESP. Hasce notas falsorum doctorũ uerissimas esse, cum Paulo fatemur multo libentissimè. & quò nos ab eis (per Dei gratiam) magis alienos esse, in nostris cõscientijs, sentimus: hoc certiores sumus de doctrinæ & ministerij nostri fide ac ueritate.

Conuersatio nostra in cœlis, ubi Christus.

Docuit, ueros Christianos quærere oportere, nõ quæ in terris, sed quę in supernis sunt, nempe in cœlis: unde Christum seruatorem nostrum expectamus. Nos illic capiti nostro Christo Domino (ut corporis illius membra) coniungi debere, per fidei conuersationem. RESP. Hanc doctrinam

Aposto-

Apostolicam toto pectore amplectimur: & proinde Christum Dominum, ut caput nostrum, iuxta humanam ipsius naturã non esse in terris, nedum in pane Cœnæ quærendum esse, omnino putamus: sed eum è cœlis seruatorem expectamus, iuxta Pauli doctrinam: & sub ea interim expectatione per fidei in cœlis conuersationem, Christo capiti nostro adsumus, pascimurq; illic presentes fide, presentis etiam Christi corpore & sanguine, ad uitam æternam. Atque in salutari hac corporis & sanguinis Christi cõmunione Cœnæ Dominicæ esu obsignamur, ex Christi ipsius institutione: etiamsi ab illo διὰ εἴδους, tantisper dum in mortali hoc corpore sumus, peregrinemur. 2. Cor. 5. Nam si in carne nostra, quatenus sanè nostrum caput est, in terris esset: frustra ab eorũ quæ in terris sunt reputatione, per Paulum apostolum auocaremur, Colos. 3. frustra item eum ex cœlis expectaremus, Philip. 3. & illum nondũ pro uero nostro Pontifice summo, iuxta Pauli doctrinam, agnosceremus, Hebr. 8. *Christus iã non est carnaliter in terris.*

In quibus nobis non satisfecerit.

Docuit, uerorum & falsorum doctorum discrimen esse, quòd ueri doctores consolatoriam semper, & placidam doctrinam adferant. Contrà uerò, falsi doctores tetricã, & cõscientias semper degrauantẽ. RESP. *De placida & tetrica doctrina.*

Ea omnia in quibus ipſum nobis non omnino ſatisfeciſſe dicimus, non ideo recenſemus, quòd illa prorſus improbemus: ſed quòd partim nõ ſatis ab ipſo explicata, partim etiam prætermiſſa eſſe uidemus. in quibus etiam ſententiam ipſius ſcire cuperemus, ad tollendas omnes dubitationũ ac ſuſpicionum occaſiones. Quod ad diſcrimẽ igitur hoc, quod protulit, uerorum ac falſorum doctorũ attinet: neſcimus an putet, ueros doctores nunquã omnino adferre tetricam & grauantẽ conſcientias doctrinam, falſos uerò nunquam placidam ac conſolatoriam. Si enim ita in genere ſentit, probari nobis hæc doctrina non poteſt: cum uerorum doctorum officium ſit, afflictas quidem, & condemnatione legis perterrefactas conſcientias, Euangelicis conſolari promiſsionibus: ſed ſecuras rurſum, ac in uitijs ſibi indulgentes conſcientias terrere planè, ac grauare, propoſita legis condemnatione, ad quem modũ Paulus facit in priore parte Epiſtolæ ad Rom. & falſis item doctoribus proprium ſit, conſolari ſecuras & ſibi blandiẽtes in peccatis cõſcientias, Hierem. 23. Ezech. 13. atq; afflictas rurſum magis ac magis grauare, Matth. 23.

Scripturarum cõſenſus unde petendus. Docuit, ſcripturæ totius cõſenſum quærendum eſſe in Decalogo, in Symbolo, in ſacramentorũ agnitione, & ad extremùm

in

in Catechiſmo. RESP. Hic non ſatis aſſequimur, quorſum ſpectet: & libenter audiremus, è quibus ſcripturę fontibus doctrina hæc deducatur. Nos totius Scripturæ ſummam in Legis & Euangelij doctrinam partimur: & conſenſum illius unanimem in utroq; hoc doctrinæ genere, in ipſis ſcripturæ locis idem aut ſimile argumentum tractantibus, ſeq; mutuò explicantibus, ita quærendū eſſe putamus, ut nullas uſquam in ſcripturis pugnas ferant, ſiue de Decalogo, ſiue de ſymbolis, ſiue de ſacramentis, ſiue de uariantibus paſsim inter ſe Catechiſmis, in quæſtionem aliquid uocetur.

Docuit, Decalogo damnari eos qui nos in uita hac ſine peccato uiuere poſſe putant. Rurſum, qui ſua ipſorū iuſticia ac meritis ſalutē nos conſequi poſſe docent. Hos porrò, ſi moniti non reſipiſcant, uitandos, digitoq;, ut uitentur, commōſtandos eſſe. *Qui nam Decalogo damnētur.*
RESP. Vtroſq; iſtos Decalogo damnari fatemur. ſed et illos perinde damnari non dubitamus, qui peccatorū indulgentię ſub prętextu Euangelij frena laxant, gratiamq; Euangelij illi obtendunt. Et ſatis eſſe docēt, ſi credamus, etiāſi de uita in dies magis ac magis corrigenda non magnopere ſolliciti ſimus: cum talium non ſit fides ulla, ſed fidei larua potius, quæ à Iacobo fides mortua, dæmonumq; fides uocatur. Alioqui

Christus Dominus ueram fidem, ueluti bonam arborem, ab eius fructibus cognoscendam esse docet. Quin & Decalogo eos damnari omnes existimam⁹, qui sacros in Dei cultu publico ritus, uerbo Dei traditos, humanis quibuscunq; & undecunque tandem mutuatis ceremonijs permutant: permutatosq; non solùm nõ repurgant (etiam seriò & grauiter admoniti) sed pertinaciter potius retinent ac tuentur. Isti uerò uiolant, quod in ipsis est, Sabbati sanctificationem, quę iuxta uerbum Dei obseruari non potest. Et cum lingua Ecclesiæ ignota psallunt, cum stupore duntaxat populi, & sine ulla ullius ædificatione id faciũt, assumentes in uanum nomẽ Domini, & fraudantes Ecclesiam eius acclamatione, quam Paulus in cœtu Ecclesię requirit 1. Corinth. 14. Quatenus igitur, qui Decalogo damnantur, uitandi, digitoq;, nisi moniti resipiscant, monstrandi sunt: hactenus sanè omnes pariter isti, si pertinaciter abusus suos tueri pergant, uitandi pijs omnibus, digitoq; mõstrandi erunt, aut est adferẽda è scripturis diuersitatis certa aliqua ratio, qua isti excusentur.

Sabbati uiolatio.

Docuit, Symbolo damnari omnes qui negant mundi ex nihilo creationem, Triadem in henade Diuina, ueram Dei ueri & ueri hominis in Christo coniunctionẽ, per carnis

Qui'nam symbolo damnẽtur.

carnis nostræ & nostri sanguinis in matre uirgine ex ipsius substãtia participationẽ, iuxta proprietates utriusq; naturę. RESP. Hæc agnoscimus omnia. Sed circa ueram Dei ueri, & ueri hominis in Christo cõiunctionem, nescimus an eos tantum damnari Symbolo putet, qui Christũ uel carnis suæ originem non ex matre uirgine assumpsisse: uel carnem quidem assumpsisse, sed animam nullam habuisse docent. An uerò et illos damnari simul etiam Symbolo existimet, qui mysterium incarnationis Christi, uimq; illius doctrina sua obscurãt, dum id quod Scriptura uniuersa Christum Dominum à nobis ex matre uirgine accepisse, non autem de suo nobis donasse testatur: nempe carnis nostrę naturalis & sanguinis nostri substantiã per eius participationem: idipsum illi inquam, Christũ nobis de suo donare in Cœna cum pane & sub pane, nõ autem à nobis ex matre uirgine habere docent, contra totius Scripturæ doctrinam & fidei ipsius analogiã, quam Paulus interim uult maximè obseruari, Rom. 12. Rursum, qui proprietates corporis nostri in Christo euacuant, eas potissimum quas illi scriptura uniuersa consentienter tribuit, etiam post eius glorificationem. ut sunt illi, qui corpus Christi inuisibile, insensibile, infinitum, ἄτοπον faciunt: cum Christus

De Christi incarnatione.

ipsemet

ipsemet post corporis sui glorificationem, corpus suum & inspici & palpari iubeat: adeoq; & sensuum nostrorum iudicio illud cognosci, atq; à spiritu quouis suspecto dignosci uelit. Cum item angeli dicant, Non est hic. præcedet uos (qui sanè à loco in locum motus est) in Galilææ̃, ibi eum uidebitis. Qua sanè uoce & loci & præsentiæ discrimen constituitur, ut neq; indefinitum, neq; item ἄτοπον Christi corpus etiam post eius glorificationem constitui posit. Postremò, qui articuli fidem de ascensione & expectatione adhuc CHRISTI Domini, donec rursum ueniat, non modò obscurant, sed propemodũ uiolant: & ascendisse in cœlum, idem esse interpretantur, quod cœpisse esse ubiq;; contra angelorum testimoniũ, qui Christum non sanè cœpisse esse ubique per suam ascensionẽ, sed ab Apostolis sublatum, in sublime euectum per nubem (quæ certè hauddubie loco ab Apostolis uidebatur) è conspectu illorum paulatim subductum, ad cœlos ascendisse, illinc expectandum, illinc ad quem modum ascendit uenturum etiam testantur. De his, inquam, nescimus, an etiã symbolo damnari censeantur: ut si admoniti non resipiscant, uitari digitoq; indicari debeant. Atq; de ijs censurã secundum scripturas expectamus.

Docuit, symbolo etiam damnari, si qui

diuinitatem

diuinitatem Spiritus sancti negaret. Item, qui Ecclesiam hic in terris sine peccato ita somnient, ut alias ecclesias omnes præ se peccati nomine damnent, prorsusq; cõtemnant. RESP. Hic, quod ad Spiritus sancti diuinitatem attinet, modis omnibus assentimur. Assentimur etiam, non posse esse ullam in terris sine peccato Ecclesiam: & omnes eos qui talem esse somniãt, auersamur. Sed nescimus, an non simul complectatur eos, qui gratiam Euangelij, peccatorũ in populo indulgentiæ obtendi non patiuntur. Hic enim nos præposterum de Gratia Euangelij iudicium, tam in plebe, quàm in ministris istiusmodi omnibus accusamus: qui sub fuco Euangelij uitijs frena laxant, illorumq; indulgentiæ magnitudinem beneficij Christi indignissimè obtendũt. Cũ Christi beneficium non eò sanè spectet, ut eius prætextu uitijs nostris indulgeamus: sed, ut ipsi Christo Domino in sanctitate & iusticia omnibus uitæ nostræ diebus seruiamus. *De Ecclesiæ puritate & impuritate.*

Docuit, symbolo damnari Nouatianos, qui peccatorum remissionem negãt in Ecclesia post regnerationem: præterea Sadducæos & Epicuræos omnes, qui negant resurrectionem & uitam ęternam. RESPON. Assentimur & his omnibus. Sed nescimus etiam, an non et illos symbolo damnari pu- *Sanctorum cõmunio.*

tet,

tet, qui fidelium omnium in Ecclesia socie tatem, sanctorum inquã communioné, calumnijs, præiudicijsq; suis, temerè & sine causâ uiolare, scindereq; conantur: & quos odisse semel è suis præiudicijs cœperunt, eos protinus quo iure quaq; iniuria, à Catholica sanctorum communione, symbolo nobis commendata, excludunt: etiamsi negare nõ possint, retineri ab illis proditum ore Petri fundamẽtum Apostolicæ atq; Ecclesiasticæ confessionis: cui qui insistunt, à sanctorũ sanè cõmunione nullis humanis præiudicijs excludi quoquo modo possunt, etiãsi fundamento huic ligna, fœnũ ac stipulas superstruant. quæ tandem omnia oporteat conflagrare, 1 Corinth. 3. In peccatorum item remissioné, non audiuimus factam peccati in spiritum sanctũ exceptionem, à quo Christus ipsemet Dominus remissionem omnem excludit, Marci 3. Admissa autem exceptione, per omnia assentimur.

De Sacramentis. Docuit, in sacramentis quærendum esse consensum totius Scripturæ, perinde atq; in Decalogo ac Symbolo. RESP. Hæc non satis assequimur, quoniam duplicẽ sensum habere possunt: ut uidelicet doctrinam de Sacramentis ex scripturæ totius consensu ęstimemus, aut ut consensum Scripturę totius è Sacramẽtis petamus. Priorem porrò

sensum

ſenſum libẽter amplectimur, & nihil aliud cupimus, quàm ut doctrina de Sacramentis è totius ſcripturę conſenſu petatur atq; æſtimetur. Atq; id in primo concionis capite annotauimus. Sed non intelligimus, ad quem modum ſcripturæ totius conſenſus è Sacramẽtis peti atq; æſtimari debeat. Hoc igitur clarius explicari uellemus.

Docuit, totius ſcripturæ conſenſum ad eundẽ modum in Catechiſmo quærendũ eſſe. RESP. Et hoc non ſatis aſſequimur: quoniam duplicem ſenſum etiã, quemadmodum & proximum, habere poteſt. itaq; & hoc cuperemus clarius explicari. *De Catechiſmo.*

Docuit, damnari eos, quod Baptiſmum attinet, qui negant nos baptizari debere in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: & qui item infantes baptizandos non eſſe docent. RESP. Hanc doctrinã amplectimur: modò ne idolum in baptiſmo ſtatuatur, & uis Baptiſmi non æſtimetur è nuda uerborum illorũ (Ego te baptizo, &c.) pronunciatione: ut ſi puer puerum tangens, per ludum ea proferat, Baptiſmus iã peractus putetur, quemadmodum ſub Athanaſio factũ legitur. Neq; enim Baptiſmi uis in nuda uerborum pronunciatione conſiſtit, quæ etiam pſitacus imitari poſsit: ſed in plena inſtitutionis Chriſti obſeruatione, nempe ut beneficia Chriſti Baptiſmo adumbrata

ta agnoſcantur, & reputentur in Eccleſia Chriſti.

An in Sacramento communicemus corpori et ſanguini Chriſti.

Docuit, damnari eos qui in Sacramento negant eſſe corpus ac ſanguinem Chriſti. RESP. Si uox Sacramenti in Cœna Domini ad eum modum accipiatur, ad quem modum in Baptiſmo accipitur, nempe ut ſub illa non tantum panis aut uini elementa, ſed totam ſimul myſticam actionem cum ſuo myſterio complectamur: quemadmodum in Baptiſmo, non aquę modò elementum, ſed tota à Chriſto inſtituta actio myſtica cum myſterio, uoce Sacramenti comprehenditur: tum nos ſanè neminé nouimus, nec ſi quiſquam talis ſit uſquam probamus, qui nos in legitimo Cœnæ Dominicæ uſu, uero Chriſti corpori & ſanguini, uerè etiam per fidem atq; ad ſalutē noſtrā cōmunicare neget. Si uerò uox Sacramenti in Cœna pro ſolo panis & uini elemento accipiatur: tum nobis hanc uocis Sacramenti uſurpationē approbari, ex uerbi diuini fontibus, poſtulamus. Alioqui ſi claris & diſertis uerbis dicatur, corpus Chriſti naturale uerè & realiter in pane eſſe, aut ſub pane, iuxta ſubſtantiā ipſius: tū nos clarè & diſertè, ſine ulla diſsimulatione teſtamur, ſecundum ſcripturas, corpus ipſum Chriſti Domini glorioſum, in ſua naturali ſubſtantia ad dextrā Dei patris in cœlis, noſq;

adeò

adeò ipsos etiam illi per fidē sub spe inclusos residere: non autem naturæ suæ humanæ proprietatibus, cœlestiq; sua iam gloria spoliatū, sub pane Cœnæ delitescere: præsertim cum huic tali delitescentiæ scriptura uniuersá repugnet: & uideamus præterea omniū longè grauissimá consolationē nobis hac tali delitescentia eripi, de nostró in cœlis cum Christo iam consessu per fidem, deq; perpetua nostra cum ipso, neq; unquam omnino interrumpenda communione in corpore & sanguine ipsius: ad quā alioqui animis nostris obsignandā, Cœnā sacram à Christo ipsomet Domino institutam esse constat. atq; antea paulò constitutum sit, eam esse falsorum doctorū, & proinde falsæ cuiuslibet etiam doctrinæ notá, si per eam, proposita in Euangelio pro afflictis conscientijs cōsolatio aliqua obscuretur, aut præripiatur.

Docuit, in Cœnæ Dominicæ consideratione, uerbis illis prorsus innitendum, insistendumq; esse: HOC EST CORPVS MEVM. RESP. Libenter innitimur, adeoq; & insistimus uerbis hisce Christi, ut quæ uerissima esse non dubitemus. Sed neq; innitimur, neq; insistim⁹ illis liberè, quin potius abutimur, si ea contra mentem Christi, & unanimem totius Scripturæ consensum detorta urgeamus, quò nō oportet. Et miramur,

Verbis Cœnæ, non falsæ eorum interpretationi insistendum.

e tam

tam repentè traditam initiò doctrinam reijci, de nõ approbanda doctrina ulla unius aut alterius loci autoritate, sed unamini potius totius scripturæ consensu: siquidẽ unius eius loci autoritatem ita urgeat, ut totius scripturæ consensum nihil amplius moretur. Tametsi hæc Christi Domini uerba nihil prorsus faciant ad comprobandã corporis Christi sub pane delitescentiam, utcunq; tandem urgeantur.

Docuit, eos qui negant Christi corpus in pane Cœnæ esse, sic argumentari: Ascendit in cœlũ, expectatur ut ueniat, ergo non est in pane. Item, Non uidetur, non sentitur, ergo non adest. RESP. Qui nos in hisce nostris argumentationibus rident, nõ tam nos sanè, quàm ipsummet Christũ Dominum rident. Is enim prior nobis hisce argumentis usus est. Priore, ad confutandam de carnali corporis sui manducatione imaginationem, quæ & nunc in quæstionem uocatur, Ioan. 6. Posteriore uerò, ad tradendam doctrinam de uerè agnoscendo, atq; à quouis spiritu ceu spectro dignoscẽdo, corpore suo, post eius glorificationem. Proinde nos nihil pudet uti argumentis, quibus Christum Dominum usum esse uidemus: cum non aliud nunc esse sciamus corpus Christi, quàm tunc erat post eius glorificationem: neque meliorem nunc etiam illius

agno-

agnoſcendi rationem tradi poſſe. Et quæ ad hęc Chriſti Domini argumenta reſpondentur, ea ſanè ſubſiſtere non poſſe, paulò pòſt oſtendemus.

Docuit, urgeri ab eis qui Chriſti corpus in pane Cœnæ eſſe negāt, locum Pauli, quē explicabat Philipp. 3. Nam conuerſatio noſtra in cœlis eſt, unde Seruatorem expectamus, &c. Atq; ab illis quidem dici aliquid, ſed non dici omnia. RESP. Hunc locū Pauli, cum altero loco Coloſſ. 3. coniunctum libenter urgemus, neq; illum nobis eripi ullo modo poſſe affirmamus: quemadmodū mox dicetur. Optamus aūt ſcire, quidnam ſit illud aliquid, quod hic per nos dici fatetur: & quæ item illa non omnia, quæ omitti à nobis hoc loco putat.

Doctrina carnalis præſentiæ non comparanda fidei reſurrectionis.

Docuit, iſtis ad hunc modum reſpōndendum eſſe, quòd Chriſti corpus tam certò ſit in cœlo, ſimul & in pane Cœnæ, quàm certò olim corpora noſtra reſurgēt, etiamſi humana ratiò nullo id modo conſequi poſsit. RESP. Audimus adferri reſponſionem, ſed quæ ad inſtitutum nihil facit. Negamus enim iuſtam eſſe comparationē delitescentiæ corporis Chriſti in pane Cœnæ: de qua nihil uſquam in ſcripturis docetur. imò cuius cōtrarium manifeſtè docetur cum corporum noſtrorū reſurrectione, de qua plena eſt ubiq; ſcriptura, ſine ulla omnino cō-

traditione: & proinde frustra iactari ab ipso, quòd loca prædicta Pauli non oppugnent delitescentiam illam, quam tuetur, corporis Christi in pane.

Omnipotentia Christi.

Docuit, id fieri omnipotētia Christi, cum sit Deus uerus, qui sibi potest subijcere omnia. RESP. Omnipotentiam Christi Domini, cùm sit uerus Deus, toto pectore & reuerenter agnoscimus, ubicunq; illam declarandam esse Scripturæ testimonio docemur. Proinde cum de corporū resurrectione Scriptura tota cōsentienter doceat, modumq; adeò illius, & tempus deniq; & causas describat, nos sanè de illa nihil dubitamus, atq; omnipotentię Christi eam libenter subijcimus. Sed delitescētiæ Christi corporis in pane Cœnæ, frustra obtendi dicimus Christi Domini omnipotētiam, cum nullum certum ac solidum Scripturæ testimoniū proferri de illa posit: imò cum toti potius Scripturæ repugnet, id quod facilè ostendi potest.

Christi corpus loco cōtinetur, nec per omnia diffunditur.

Docuit, locorū discrimine corpus Christi nō circumscribi, ex Pauli autoritate, qui Christum in cœlos ascendisse docet, ut omnia impleret. RESP. Nos hoc Pauli loco negamus tolli locorum in Christi corpore discrimina, quæ alioqui multis Scripturæ testimonijs constituuntur: Marci 16 & Lucæ 24, ubi disertè Christū ab illis sublatum

in

in cœlum: & Act.1, in sublime per nubem subductum: rursum non esse hic, fore alibi, ingredi, & multa id genus, audim⁹. Sed dicimus, hoc Pauli loco, Implendi uerbo non equidem locorum discrimina designari: sed omniũ Christi operum, propter quæ potissimum in terras, nostra causa homo factus, uenerat, cõsummationẽ. Vnde etiam uerbum πληρόω hoc loco per uerbum complendi, cõmodius reddi posse putam⁹. Ipsa aũt Pauli uerba, quæ eo ipso loco præcedunt & sequuntur, manifestè declarant, uocem implendi illic de operum Christi consummatione intelligi oportere. Recenset enim Paulus duo Christi opera, in quibus summa alioqui Christi in terris operũ continetur: atque hæc Christi Domini ascensione impleta esse testatur. Ascendens (inquit) in cœlum, captiuam duxit captiuitatem, deditq; dona hominibus. Hæc igitur ut complerẽtur, ideo Christum, qui & descenderat, ascendisse, complementumq; operum suorũ declarasse docet: nempe dedisse dona hominibus in sua Ecclesia Apostolos, Prophetas, &c. Hæc sanè ita se habere, contextus ipse declarat. & est frequẽs in scripturis usus uerbi πληρόω, in ea ipsa significatione. Neque hac igitur responsione minuitur uis argumenti à Christo primùm inducti, deinde à nobis repetiti, ab ascẽsio-

Locus Pauli ad Eph. 4. quomodo intelligendus.

ne & expectatione ipsius aduersus carnalem corporis sui manducationē, & eius delitescentiam in pane Cœnæ.

Docuit monēdos esse omnes, qui hac in parte ab ipsius doctrina dissentiūt. RESP. Cuperemus scire, quid'nam sub uerbo monendi intelligat. Si enim admonitionē intelligit, quā Paulus νουθεσίαν uocat, & uult ut ea Titus apud hæreticos homines utatur, prius quàm uitari debeant: & quidem semel atq; iterum, si quoquo modo lucrifieri possint: hanc certè ab ipso nunquā audiuimus, etiamsi nobis, mox ut huc aduenissemus, adfuerit per nos uocatus amanter: sitq; nobiscum familiariter locutus, delatis etiam nobis suis officijs, cùm nos tum à se hic dissentire non ignoraret. Quo equidem nomine, si hęreticos nos esse putabat, dissimulare id utiq; cum amicitiæ simulatione non debebat. Si uerò alio nos quocūque admonitionū genere admonendos esse putat, id quoque nobis clarius exponi cuperemus.

Quæ nos in doctrina ipsius offenderunt.

Non sumus ob nostram doctrinam Sacramentariam condemnandi.

Docuit, damnari omnes qui negāt Christi corpus, ut ipse docet, esse in pane Cœnę: & talium omniū finem, interitum fore affirmauit. RESP. Nos id cōstanter negamus: magnamque multis Ecclesijs Christi iniuriam, hoc tam graui ipsius præiudicio factā esse

esse dicimus, & contra doctrinam Euangelij Christi, & contra omnem honestatem: idq́; in tanti Principis suorumq́; omnium præsentia. Contra doctrinam Euangelij factum dicimus, quandoquidem nemo de alterius condẽnatione pronunciare aut potest aut debet in Ecclesia, quem non constet publicè à fundamento Apostolicæ confessionis, Petri ore proditæ, excidisse. id quod sanè neque ipse, neq; quisquam omnino in terris de nobis cum ueritate affirmare unquam poterit: et libri nostri nos ab hac impudenti calũnia facilè uindicabunt. Contra omnem honestatẽ uerò factum dicimus, eo quòd simulata apud nos sua amicitia, ac quadam nostri cõmiseratione, delatisq́; nobis omnibus amicitię officijs, & ne uerbo quidem admonitis, nos ita proscidérit, damnarit, atq; inuidia grauarit: & quidem cum ab ipsa M. Regia uocati ad eius concionem, deductiq́; essemus.

Docuit, eos qui à se dissentiũt, aduersus Christi uerba dicere, Hoc non est corpus: cum ille dicat, Hoc est corpus, &c. RESP. Id equidem nobis ostendi postulamus, ubi hæc leguntur. Alioqui impudentem hominis arrogantiam cum calumniandi impotentia cõiunctam accusamus. Certò autem scimus, uerba eiusmodi neque audita à nobis unquam, neq; uel per somnium cogita

ta esse: quin potius affirmauimus semper, & nūc affirmamus, uerba Christi uerissima esse: sed illis affingi nouam, coactam, & scripturis repugnantem interpretationem, ad statuendam delitescentiam corporis Christi in pane. Neq; uiolari fidem uerborum Christi dicimus, etiamsi delitescentiā illam non agnoscamus: quam alioqui neq; à priscis Ecclesię doctoribus, neq; à primæua Apostolorum & post illos Ecclesia, agnitam esse uidemus.

Docuit, uitandos esse tales, nisi si admoniti resipiscere uelint. RESP. Hic quoq; prodidit suam impudētiam, cum uitandos post unam atq; alteram admonitionem esse docet, quos nullius hæreseos cōuincere potest, nedum ut conuicerit. quod tamen ei faciendum esset, si Pauli ordinem sequi uellet. Nos porrò huius cōtrouersiæ nomine, neminem unquā auersati sumus: sed in fraterna charitate tulimus, & ferēdos esse putauimus omnes, qui modò nos uicissim ferre uolent, donec Dominus controuersiam hanc per gratiam suam componat, eo quòd omnes fundamentum cōfessionis Apostolicæ pariter retineamus.

In his sanè non tantum nos (quod ad doctrinam quidem attinet) offendisse, sed aduersus personas quoq; nostras, nostrumq; in Ecclesia Christi ministeriū peccasse, nobis

bis uidetur, contra legem fraternæ charitatis, & officium Ecclesiastici doctoris: testatus præsertim suam erga nos amicitiam, & pollicitus nobis suam operam in causę nostræ apud Regem commendationem. Quæ nos interim omnia iudicio ac pietati M. R. committimus. Neq; dubitamus Maiestaté ipsius habituram esse clementer fidei innocentiæq; nostræ, & eius præterea fiduciæ, qua potissimùm adducti huc uenimus, benignam iustamq; rationem. Atq; hic erat finis nostrarum Annotationũ in Nouiomagi concionem.

Colloquium cum P. N*ouiomago &* H*enrico* B*uscoducensi ipsius collega, habitum* C*oldingæ, in ea* C*imbriæ parte quam* I*udlandiam uocant.* N*ouem.16.*

Tradito hoc scripto, non multo pòst, eodem die à prandio, uenit ad nos Nouiomagus, cum suo collega Henr. Buscoducensi, unoq; ex consiliarijs regijs, & duobus Secretarijs: scriptumq; nostrum illud, quod de ipsius concione Regi miseramus, in manu secum adfert, ac primùm ait: Se ad nos uenisse, ut de ijs nobiscum ageret, de quib. ipsum apud Regem scripto nostro accusassemus: potuisse nos sanè priuatim cũ ipso agere, si qua parte nos offendisset. Sed posteaquã ipsum publico nostro scripto apud Regem accusassemus, se etiam cum adiun

ctis sibi amicis uenisse, ut nobis ad nostra responderet.

Ad quę nos rursum respondemus, nobis quidem gratū esse suum ad nos aduētum, & eorum omnium qui cum ipso uenissent. Cæterum nos nullam publicam aduersus ipsum accusationem instituisse: sed nobis duas ob causas uisum non esse, ut soli cum solo ea de re colloqueremur. Primùm, ne si soli cum solo, idq; Rege inscio, colloqui uoluissemus, & ipse fortè æquo animo ferre noluisset nostram admonitionem, uideri sanè possemus, turbas cum ipso aliquas excitare uoluisse. Deinde, cum concio ipsius fuisset publica, & quidem in Regis ipsius præsentia, rē ipsam postulasse, ut Rege inscio nihil cum ipso ageremus. Nos tamē cū nemine ea de re uerba habuisse, præterquā cum Christophoro Secretario: & demum cum Cancellario, per quos rē alioqui ipsam Regi indicari oportebat. Neq; item scriptū nostrū à quoquā adhuc uisum fuisse, priusquam illud Regi misissemus. Præterea nos Regio arbitrio permisisse, siue nos solos cū ipso solo, siue se etiam præsente, seu coram suis quibusdam ad id designatis colloqui uoluisset. Proinde nos nulla hic culpa teneri, quòd soli cū solo priuatim colloquuti nō essemus. Et postquam ita Regi placuit, ut corā his qui secū uenissent, colloquere-

mur,

mur, nobis id gratissimum esse: ipsiusq; esse iam, ut ad scriptum nostrum ordine suo respondeat.

Ibi uerò Nouiomagus concionem suam excusare cœpit, se in nos nihil dixisse: sed textum scripturæ, quem præ manibus habuisset, explicuisse: hunc postulasse, ut de falsis doctoribus pleraq; diceret: & proinde se de falsis doctoribus atq; hæreticis dicere oportuisse. Hic tũ nos dicimus: Nos de hæreticis, qui uerè hæretici essent, nihil agere: sed de eo, quòd ipse omnes qui in re Sacramentaria à Lutheri doctrina dissentirent, inter quos nos quoq; esse non ignorabat, inter hæreticos annumerarit: ac simul etiam Sacramentariæ doctrinæ nomine, ad gehennam condemnarit. Hoc enim fecisse eum & contra uerbi Diuini regulam, & cõtra legem charitatis Christianæ, & contra officium item Ecclesiastici Doctoris: præsertim cum nos suę concioni, non tam nostra alioqui sponte, quàm Regio iussu uocatos, adductosq; esse uideret. Perstat ille nihilominus, negans quòd in nos aliquid dixisset, aut nos ullo modo condemnasset. Nos porrò uerba ipsius quædam in concione repetimus, & hominem suis ipsius uerbis urgemus, ut negare non posset, uera esse quæ diceremus. Interim ille tamen ait, omnia quæ dixisset, non eò spectasse, ut nos condemnaret:

Paulus Nouiomagus negat se aliquid aduersus nos dixisse, seq; nos cõdemnasse.

demnaret:sed ſe id ſtudio feciſſe,quod tam copioſe & apertè de re ſacramẽtaria & eius doctoribus diſſeruiſſet,ut nobis,quos pręſentes uidebat,occaſionem inijceret, ſe uocandi ad nos, ut ſic demum nobiſcũ latius ea de re colloqui poſſet. Porrò nos, nihil opus illi fuiſſe dicimus, ullam nobiſcũ colloquendi occaſionẽ quærere. Nos enim in primo mox aduentu,colloquium expetijſſe: adeoq; & collocutos eſſe: liberumq; illi fuiſſe,nobiſcum de quibuſcunq; capitibus colloqui. Sed eſto, quęrenda illi fuerit nobiſcum colloquendi occaſio, aliam ſanè quæri ab ipſo potuiſſe,paulo placidiorem, quàm iſtiuſmodi publicam noſtri condemnationem.

Ad quæ ille rurſum: Se non aliter nos & noſtri ſimiles omnes condemnaſſe,aut cõdemnare etiam uelle,ait, quàm ſi in noſtra doctrina pertinaciter manere omnino uellemus. Seq; hic ſequi exemplum Lutheri, qui Sacramentarios,poſt cõtempta primũ ab illis priora ſua ſcripta aliquot,tandẽ condemnaſſet. Nos uerò hic, ab omni pertinacia alienos nos eſſe declaramus. Primũ, quòd parati ſimus rationem doctrinæ noſtrę ex ſcripturis reddere,omnibus quicunque id à nobis poſtulant. Deinde,quòd piorum omnium ſobria,modeſta & Christiana colloquia,in cauſa noſtra,non modò nõ

In nobis nõ eſſe pertinaciam.

ſubter-

ſubterfugerimus unquam, ſed etiam modis iam omnibus expetamus. Poſtremò, quòd publicè ſemper teſtati ſimus, nos, ſi noſtra ſolidis ac perſpicuis ſcripturæ teſtimonijs approbare non poſsimus, multò libentiſsimè meliora docentibus ex uerbo Dei ceſſuros eſſe, etiam cum ſumma noſtri pudefactione: modò ut intelligamus, noſtri illam pudefactionem ceſſuram eſſe in gloriam CHRISTI. Hæc certè non eſſe pertinaciæ ullius argumēta. quin potius illos hac culpa teneri, qui re, nullis adhuc legitimis, iuxta uerbū Dei, Eccleſiæ iudicijs diſcuſſa, nulla ſibi tamen colloquia amplius nobiſcum habenda eſſe putant: neq; ſua legitimis Eccleſiæ, iuxta uerbū Dei, iudicijs ſubijcere, aut approbare quoquo modo uolunt, ſed priuatis duntaxat ſuis preiudicijs rem agere: & qui à ſe diſſentiunt, proſcindere protinus omnes: ac prerepta Eccleſijs ſua autoritate & cenſura, diris omnibus deuouere audent. Quod uerò ad Lutheri exemplū productum attinet, dicimus, Lutherum ac Saxonicas Eccleſias, deniq; & Auguſtanam confeſsionem, non eſſe Catholicam Eccleſiam: tametſi nō omnes qui Auguſtanam profitentur confeſsionem, in hac ſanè cauſa Sacramentaria modis planè inter ſeſe omnibus conſentirent. Nos quidem Lutherum pro inſigni Dei organo habere,

Auguſtana confeſsio.

De Luthero.

bere,

bere, memoriáq; illius apud nos sacrosan-ctam esse: sed illi nihilominus spiritum sanctum iuxta mensurã datum fuisse. & proinde eo loco habendum non esse, ut & falli & fallere non potuerit. Hunc honorem solis nos Propheticis & Apostolicis scriptis deferre, ut nihil contineant, quod non certa fide sit amplectendum. Cæterum in in scriptis Lutheri luculẽta extare testimonia, illum sibi non perpetuò, neq; per omnia constare: & proinde quandoq; etiã falsum esse, nedũ ut pro Angelo aut Apostolo Dei (qui uidelicet errare nunquam potuerit) haberi aut debeat, aut posſit. Quare & Lutheri scripta, & ipsam adeò Aug. Cõfesſionem ad scripturæ regulam & legitima Ecclesiarum iudicia reuocanda esse: neque ex Lutheri dogmatis, aut etiã ex Aug. Cõfesſionis autoritate, ita præiudicandum esse, ut scindantur Ecclesiæ: ut ue sanctorũ communio, in Catholica Dei Ecclesia (cõtra fidei nostræ confesſionem) uioletur. In causa igitur Sacramentaria nos à Lutheri doctrina dissentire, eo quòd nobis doctrina ipsius uerbo Dei & fidei analogiæ consentanea non esse uideatur: nosq; hic expetere cum omnibus modesta, pia & Christiana colloquia, ut aut nostra approbemus, aut meliora ex uerbo Dei docentibus cum publica etiã nostri pudefactione cedamus.

Quòd

Quòd igitur Lutherus diris deuouerit omnes, qui corporalem Christi in pane Cœnae delitescentiã agnoscere recusant: id nobis probari non posse: petereq́; nos, ut hoc ipsum Lutheri factum scripturae nobis autoritate approbetur: praesertim cum hęc cõtrouersia nõ sit hactenus discussa (ut dictũ est) legitimis ullis Ecclesiarũ iudicijs: nedum ut, qui hic à Lutheri doctrina dissentiunt, ullius sint erroris conuicti, multo minus autem haereseos damnati. At nos parati sumus ostendere, Lutheri, hac quidem in parte, doctrinam pugnare cum receptis à Catholica Christi Ecclesia, fidei nostrae articulis, de incarnatione, deq́; ascensione, & expectatione adhuc ad iudicium Christi Domini: de proprietate humanę in ipso naturę, iuxta scripturas: & de natura ac dignitate sacerdotij ipsius.

Ad haec porrò Nouiomagus, Lutheri nihilosecius autoritatem rursus urget, & uerba illa Cœnae solennia, HOC EST CORPVS MEVM, ita clara & perspicua esse ait, ut nulla tropica aut figurata expositione opus habeát omnino: imò uerò etiam, omnia quaecunq; in Scripturis de Sacramentis habentur, iuxta ipsam uerborum proprietaté (reiectis figuris & tropis omnibus) exponenda esse. Quòd si nobis hic Christus ipsemet & Lutherus nõ satisfaciant, se nobis nunquam

An sit in uerbis Cœnae figura.

quam ſatisfacturum eſſe. Ibi uerò nos rurſum dicim⁹, nos in Chriſti Domini uerbis nihil unquam deſideraſſe, eaq́; nobis plenè & per omnia ſatisfacere: ſed doctrinam Lutheri à uerbis Chriſti diuerſam eſſe, neque è Chriſti uerbis deduci poſſe. Alioqui ſi in uerbis Chriſti conſtitui uideremus Lutheri doctrinam, de reali corporis Chriſti naturalis in pane Cœnæ deliteſcentia: nos ſanè tales non eſſe, qui in rebus diuinis noſtræ potius rationis iudiciũ, quàm uerbi Diuini ueritatẽ ſequi uellemus, protinúsq́; nos illam reuerenter agnituros eſſe. Sed cum id non uideam⁹, imò cum diuerſum planè uideam⁹: hoc ipſum obſtare, quo min⁹ doctrinæ Lutheri aſſentiamur. Optare nos interim, audire eos qui id docere poſsint, atque ab illis audiri uiciſsim. alioqui multa eſſe alia, in Religione noſtra, capita, magis multo rationis noſtræ iudicio repugnãtia, quæ tamen nos omnia, per Dei gratiam, indubitata fide amplectimur, abnegato omni rationis noſtræ iudicio: eo quòd illa certis uerbi Diuini teſtimonijs niti atq; inſiſtere uideamus. idem & hic multò libentiſsimè facturi, ſi idem uideamus. Quod porrò ad uerba Cœnæ ſolennia attinet, nos id uehementer mirari, quòd cum Lutherus & ſui omnes perpetuò clamẽt, ea eſſe clara & perſpicua, neq; ullis omnino aut tropis aut fi-

Perpende.

guris

guris constare, nusquam illa tamen suo ordine explicet, ut eorũ interpretatio (quam illi claram ac planã esse putant) uideri possit, & sit eiusmodi, quæ fontes doctrinæ Lutheri in illis, iusto ordine, commonstret. Nos sanè eiusmodi interpretationem uerborum Cœnę, neq; in Lutheri scriptis quę quidem latinè haberentur, neque in cuiusquam alterius qui ipsum sequeretur, uidisse. Sed palàm nos uidere cõtrouersum esse, num in Cœnæ uerbis constitui posit ea, quam nunc doceri audimus, realis in pane Cœnæ delitescentia corporis Christi naturalis. & habere nos graues causas iam antè etiam commemoratas, propter quas doctrinam hãc, tantisper dum nõ solidius approbetur, amplecti non possimus. Illud uerò nos præ alijs magnopere admirari dicimus, quòd Nouiomag⁹ diceret, quicquid usquam in Scripturis de argumento sacramentario legeretur, id totum nudè & simpliciter, prorsus sine tropo aut figura ulla intelligendũ, exponendumq; esse: cum in ipsis etiam Cœnæ uerbis uarietas ipsa uerborum de pane ac poculo, apud Euangelistas & Paulum apostolum, manifestè ostendant, oportere necessariò tropum seu figuram aliquam in Cœnæ uerbis cõstitui: imò cum ipsimet tropicè uerba Christi illa imprudentes exponãt, dum uidelicet prono-

men demonſtratiuum eclipticum faciunt: & (Hoc) pronomen ita exponũt, ut perinde eſſe dicant, atque ſi dixiſſet, in hoc, ſub hoc, uel per hoc, &c. Quòd ſi quid Nouiomagus, aut quiuis alius è ſcriptis Lutheri habeat ad eã rem, quod nos fortè non legiſſemus, (qui præter ea quæ latinè habẽtur, pauca alioqui legiſſemus) id nobis ut proferret, aut ſcripto breui aliquo in ordinem redacta traderet. Cæterùm Nouiomagus ait, ſcripta Lutheri extare: ea à nobis facilè legi poſſe, ſi uelim⁹. Cumq; de figurata pronominis demõſtratiui in uerbis Cœnæ expoſitione urgeretur, agnoſcit tandẽ, in uerbis Cœnæ ſynecdochen eſſe, oportereq; illa per ſynecdochen exponi.

An Chriſti corpus ubiq;, propter cõiunctionem utriuſq; naturæ.

Porrò Henricus Buſcoducenſis, collega ipſius, aliò orationem conuertit: &, poſteaquam in Chriſto humanitas Diuinitati ita eſt inſeparabili nexu coniuncta, ut ab illa diuelli non poſsit: nihilo ſanè magis humanitatem Chriſti iam, quàm ipſam Diuinitatem, etiam loco ulli aſtringi poſſe dicit.
Cui nos uiciſsim paucis reſpõdem⁹, quòd, quemadmodum humanitas Chriſti Domini in eius incarnatione diuinitatẽ eius non conſtringebat intra uirginis matris uterum, in quo tamẽ eius humanitas haud dubiè concludebatur: ita & nunc humanitatem illius non diffundi, neque expandi in

infinitum,

infinitum, propter indiuiduã eius cum diuinitate, in una eademq; persona, coniunctionẽ: quæ nihilo sanè minor erat in Christi Domini incarnatione, quàm post eius mortem ac resurrectionem. Cumq; adderemus, ipsorum doctrinam manifestissimè cum articulo ascensionis Christi in cœlum pugnare. Minimè, inquit Buscoducensis. Siquidem Christus ante suam ascẽsionem instituerat Cœnam, in qua discipulis suis sub pane corpus suum realiter edendũ prębuit. Verùm hoc ipsum (respondemus ei) quod pro indubitato assumis, nempe Christum, in prima Cœna corpus suum realiter edendum Apostolis præbuisse, prius è Scripturis probandum esset: quandoquidem id etiam cum ueritate incarnationis ipsius pugnaret.

Ibi demum uentum est ad ea quæ ipsis cum Papistis communia sunt argumenta: nempe, Christi uerba esse uera: non esse hic nitendum iudicio humanæ rationis: Christi Domini corp⁹ à nostro longè diuersum esse. Verbum ipsius efficax, ipsumq; adeò Christum omnipotentem esse: & quæ huius generis à Papistis, ad cõfirmandam ipsorum transsubstantiationem, adferri solent. Quæ cum audimus, dicimus: ijsdem ipsis argumentis tam facilè, aut etiã facilius probari posse Papisticam transsubstantionẽ, *Papistarũ argumẽta pro transubstantiatione.*

quàm facilè probetur delitescentia corporis Christi naturalis in pane Cœnæ: nosq; cupere scire, dum istiusmodi argumentis nituntur, quibus'nam rationib. impugnandam putent Papisticam transsubstantiationem. Ibiq; Nouiomagus disertè fatetur, se aliud contra Papisticam transsubstantiationem efficacius nihil habere, quàm quòd post uerba etiam consecrationis panis & uinum in Scripturis uocentur. Cumq; dicimus, hoc facilè, si aliud non habeamus, à Papistis posse dilui: & si non aliter impugnari debeat Papistica transsubstantiatio, certè parum decoram fore Euangelicis doctoribus Papisticæ transsub. oppugnationem: tandē respondent, Esse multo adhuc plura, quæ planè subuertant doctrinam transsubstantiationis. Nosq; uicissim respondemus, esse sanè multo plura & solidiora: sed quibus ipsa etiam doctrina de delitescentia corporis Christi sub pane, nō secus quàm transsubstantiatio Papistica, eadē opera subuerti possit. ad quæ nihil nobis est responsum.

Porrò, cum tempus desultoria istiusmodi concertatione, magna ex parte absumeretur, neq; de scripto interim nostro, quod Nouiomagus secum attulerat, quicquam adhuc actum esset, cuius potissimum nomine cōueneramus: uisum omnibus tandem fuit, ut omissis desultorijs istiusmodi disputatio-

spuratio-

ſputationibus, ad ſcriptum noſtrum legen dum & exponendum deſcenderemus. Et quoniam dies iam ad ueſperá magna ex par te inclinabat, neq; ſcriptum noſtrum commodè ad plenum legi iam, nedum expendi poſſe uideretur: placuit omnibus, ut Nouiomagus ea duntaxat ex ſcripto noſtro legeret, quæ ipſum in ſua concione docuiſſe ſcripſeramᵘˢ: ut uidelicet ipſemet aut agnoſceret, quæ nos ex ipſo audiuiſſe affirmabamus: aut nos moneret, ſicubi fortè ſecus, quàm ipſe docuiſſet, ſcripſiſſemus: atq; ita demum poſtridie ipſe paratior eſſe poſſet ad approbandam nobis doctrinam ſuá, atq; ad reſpondendum, qua parte nobis non ſatisfeciſſet, nosq; etiam offendiſſet. Nos uerò ad hæc libenter aſſenſi ſumus: & orauimus, ut inter legendum Paulus nos moneret, ſicubi fortè in ullo ſcripti noſtri capite aut non ſatis ipſum aſſequuti eſſemus, aut aliter quoquo modo per memoriæ lapſum aliquid ſcripſiſſemus, quàm ipſe docuiſſet.

Orſus eſt itaq; Paulus lectionem capitũ doctrinę ſuę in ſcripto noſtro. & uerba quidem nonnulla alicubi aliter ſe quàm ſcripſeramus protuliſſe dicebat: ſed tamen ſententiam doctrinæ ſuæ eam eſſe agnoſcebat, quá nos ſcripſeramus. Peruenitq; ad quintumdecimum uſq; doctrinæ ſuæ in ſcripto noſtro caput: in quo cum pondus omne cõ *Scriptum legitur.*

trouersiæ positum esse uideretur, uolebat unus è Secretarijs Regijs, Antonius nomine, ut nostra quoq; super hoc ipsum doctrinæ suæ caput annotatio legeretur: quo omnes uidere possint, quid nam inter Nouiomagi & nostram doctrinam in ea parte interesset. Cum igitur nostra quoq; annotatio legi cœpta esset, intercidunt rursus sermones, qui nos à prosequēda lectione auocant. Ibiq; cum dicimus, controuersiam non esse de efficacia ac dignitate Sacramenti in Cœna, multo minus de Cœnæ mysterio: sed tantum litem esse de elemētis Cœnæ, nempe pane & uino, propter quam Ecclesiarum Christi societas scindenda nō esset. tum Nouiomagus: Vestra (inquit) Ecclesia grauissimè est apud Regē meum accusata, quòd Cœna Domini per uos Londini nimium contemptim solita sit administrari: quodq; uariæ inter uos opiniones ac sectæ essent. & proinde priusquam uenissetis, inquit, cōstitutum iam fuit per Regem, & eius consiliarios, quid uobis respondendum esset. Nos porrò respondemus, Ora maledicorū in potestate nostra non esse: sed cum nobis per Dei gratiā hac in parte optimè conscij essemus, nos uindictam de nostris calumniatorib. Domino Deo permittere. Illud tamen mirari nos, quòd nemo omnium unquam ex nostris istis calumnia

De ritu Cœnæ Dominicæ.

toribus

toribus ullius rei admonuerit omnino: cùm id tamẽ illis, & alijs præterea omnibus sine ullo periculi ullius metu per nos alioqui liberum esset: nosq; publicè hortaremur omnes, ut sicubi quis uel in doctrina, uel in cõuersatiõe, deniq; & publicis ritibus nostris offenderetur, amanter nos & liberè in modestia & charitate Christiana admoneret. Testari uerò nos reipsa, non autem uerbis tantum, quòd nobis per Dei gratiam benè conscij essemus tam de doctrina nostra, quàm de nostris ritibus: quandoquidẽ nullam lucẽ refugeremus, sed pia, modesta & Christiana omnium ubilibet colloquia expeteremus: parati semper aut approbare nostra omnia, qua parte in illis aliquid desideretur: aut si id nõ possumus, cedere alioquĩ docentibus meliora.

Examinis doctrinæ et Prophetiæ publicæ usus in Ecclesia Londinensi.

De Colloquio.

Ad hęc Nouiomagus respondet: Regem de sua religione modis planè omnibus certum esse, neq; de illa quicquam dubitare omnino: & proinde nullas disputationes uelle, in suo Regno, de religione permittere, præterquam in Haffniensi Academia: et quidem ea lege, ut qui disputare uolunt, censuræ ad extremum doctorum, qui illic sunt, subscribere omnes cogantur. Fatebatur præterea idem ipse Nouiomagus, multa se adhuc in Danicis Ecclesijs desiderare, adeoq; & displicere sibi multa, quæ corri-

De abusib. in Ecclesijs Danicis.

gi optaret: ſed propter paucos non eſſe mu-tandum Eccleſię ſtatum. Nos uerò ad hęc ita reſpondemus. Primùm, quòd ad diſputationes attinet, noſtrum non eſſe, ut Regi leges ullas de diſputationū in Regno ſuo, loco, tempore, ac conditionibus ullis præſcribam⁹. Sed nos expetere colloquia, quęcunq; Rex uolet, modò ut ex uerbo Dei omnia agantur & ſtatuantur. Deinde, quòd ad eorum correctionem attinet quæ ille ſibi diſplicere in Danicis Eccleſijs dicebat, officij ſui eſſe, & eorum omnium qui uerbi miniſterio funguntur, ut Regem de ijs omnibus reuerenter quidē (ut par eſt) ſed liberè interim commonefaciant: ſiquidem inter fideles olim miniſtros in Dei iudicio numerari uolent. In corrigendis autem abuſibus in Eccleſijs, non tam eſſe obſeruandū hominum numerū, propter quos aliquid corrigi debeat, ſiue hi pauci ſint, ſiue multi: quàm id potius, quid Deus ipſe per uerbū ſuum à nobis requirat, ad ueræ religionis in ſua Eccleſia propagationē. Nos ſanè non cupere, ut in gratiam noſtri quicquam fiat hac in parte: ſed ut propter Chriſti gloriam fiat, quicquid futurum eſſet. nos equidem & paucitatē & tenuitatem noſtrā libenter agnoſcere: adeoq; & fateri indignos nos eſſe, propter quos aliquid huius fiat. Sed Chriſtum Dominū tanti nobis pariter omnibus

nibus meritò esse debere, ut quidquid omnino ad propagandam in Ecclesia sua gloriam ipsius pertineat, siue per rituum sacrorum repurgationem, siue per cōtrouersiarum pacificationem, id totū proculdubio à nobis omnibus prætermitti negligiq́; nō debeat quoquo modo: siue id à paucis, siue à multis postuletur. Quales quales autem nos essemus, eos tamē nos esse, qui nullius adhuc erroris (per gratiam Dei) conuicti essemus: & paratos nos exhibeamus, rationē fidei nostræ ex uerbo Dei reddere. Præterea nostram hanc apud Regem ipsorū reiectionem non ad nos tantū pertinere, sed ad omnes simul etiam nobiscum sentiētes Christi Ecclesias: foreq́; inde rursus nouas turbas in Ecclesijs, ac noua dissidia, non sine totius causæ Euangelicę infamia, & magna aduersariorum nostrorum omniū insultatione, & confirmatione in impietate ipsorum. Porrò, in nos culpam istorum omnium reijci haudquaquam posse iusta ratione ulla. primùm, quòd neminem unquam à nostra communione, controuersię huius sacramētarię nomine, siue in Anglia, siue alibi exclusissemus: adeoq́; & amicitię officia etiam libēter exhibuissemus ijs, qui hac in parte à nobis dissentiebant. Idemq́; præterea fecisse Tigurinam Ecclesiam erga ministros Ecclesiarum Sueuicarū, cum eò

Culpam offendiculorum hinc exoriendorum non in nos reijci posse.

Tigurini.

se, è suis propulsi, anno 1548 propter Interimisticam doctrinam recepissent: etiamsi ab illius Ecclesiæ doctrina, in eadem ipsa causa Sacramentaria prorsus dissentirét: quos etiam ad sua inuitabant colloquia. Deinde, quòd expetijssemus semper (ubi ubi fuimus) amica pia & Christiana cum omnib, colloquia. Postremò uerò, iam etiã fiducia pietatis Regis ipsorum, ad illum uenissemus: quem sanè nobis haudquaquam esse defuturum ita confidebamus, ut illum solum primum esse iudicaremus, quem nobis præ alijs omnibus in nostra disipatione appellandum esse putaremus: etiamsi non ignoraremus, illum à nostra doctrina esse alienum. Non per nos igitur moueri turbas in Ecclesia, qui concordiam ac societatem expetierimus semper, ac nunc etiam non obscurè expetamus: sed per eos potius, qui quæsitam concordiam auersantur, & suis præiudicijs rem exasperant. Facilè autem apparere quàm sit ipsis cordi pacificatio Ecclesiarum, posteaquam nos, qui in Antichristiana Ecclesiarum nostrarum disipatione, extremaq; illarum afflictione, sexaginta plus minus familiarum numero cũ uniuersa supellectili nostra eò uenissemus, opemq; ac operam ipsorũ supplices, media hyeme, per Christi Domini nomen implorassemus uel hybernationẽ

duntaxat,

duntaxat, propter ętate grandiores, tum ui ros tum fœminas: propter prægnantes itē quaſdam matronas, et infantes pleroſq; po ſtulaſſemus: non ſolum tum nihil impetraſſemus, ſed in ipſo mox aduētu noſtro, priuſquam audiremur, publica concione proſciſsi ac condemnati ſumus. Hæc tamē nos è manu Domini accipere omnia, & ꝓ omnib. nos gratias agere diuinæ illius Ma ieſtati: adeoq́; & precari, ut ſi ipſos fortè ali quādo etiam propelli inde atq; exulare cō tingat, clementiores erga ſe eos experiantur, ad quos profugiant, quàm ipſi ſe nobis exhibuerunt. Punitam ſanè eſſe Germaniā ob ſuam ingratitudinem: puniri inde item iam Angliam: fieri equidem poſſe, ut & Da nia aliquid quoq; ſit ſenſura, præſertim ſi Rex è uiuis fortè excedat. Eſſe ibi adhuc Monachos, iuratos uerè Religionis hoſtes, eosq́; non ferri tantum (quod nos tamen alioqui impetrare non poſsimus) ſed honorari etiam: cum certum ſit, illos non aliter quàm lupos, aut luporum catulos, ueluti in ſinu ali, in perniciem patriæ & religionis. *Monachi in Dania.*

Ad hæc porrò uterque concionator Regius teſtatur, ſibi ex animo dolere noſtras & Eccleſiæ noſtræ uices: optareque ſe ut mitius nobiſcum ageretur. ſed id penes ſe non eſſe, ut quod per Regem, eiusq; con

ſiliarios

ſiliarios iampridem conſtitutum eſſet, per ipſos mutetur. Imò uerò ne Regē quidem ipſum poſſe hic quę uellet. Non enim apud ipſos eam eſſe Regis autoritatē, quæ eſt in Anglia, aut in Gallia: ſed ipſum certis legū quarundā cancellis in Regni gubernatione aſtringi: interim tamen quod ad nos attineret, dubium non eſſe, quin Rex facilius ſit toleraturus Papiſtas in regno ſuo, quàm nos. Cæterùm ſe cupere uehementer, ut huic controuerſiæ ſacramentariæ finis bonus aliquis tandem imponatur. Ibi uerò nos, quod ad eam Regis à nobis animi alienationem attineret, ut uel Papiſtas ipſos facilius ſibi præ nobis in Regno ſuo ferēdos eſſe exiſtimaret, reſpondemus: Nobis quidem in manu non eſſe, ut Regiū hac in parte affectū mutemus: Nos tamē mirari, quomodo nobis interim gratulatus ſit, quòd ad Papiſmum relapſi non ſimus. Quòd uerò ad ſtudium componendæ controuerſiæ noſtræ attineret, nos ſanè reipſa teſtari noſtro ad ipſos aduentu, pacificationem à nobis modis planè omnibus quæri. Sed ſi ipſi uerè (ut dicebant) cupiant finem bonū aliquem huic controuerſię imponi, agant hoc apud Regem, ut ipſius autoritate docti conuocentur ad controuerſiarum in reſtitutis Eccleſijs compoſitionē; & noſtris interim Eccleſijs permittatur libera hybernatio ſal-

tem,

tem, donec tempora nauigationi magis accommoda primo uere redeant. Quã ſanè in re operam nobis ſuam & cõcionator uterque, & qui cum illis erant, à Rege ipſo miſſi, pollicentur. Atq; ſic demum noſtrũ tum diſſoluitur colloquium, ea lege, ut Nouiomagus poſtridie ad nos rediret, & ad ſcriptum noſtrum, quod Regi obtuleramus, ordine reſponderet. Ipſi uerò omnes apud Regem ſuum agerent, & de conuocatione doctorum uirorum ad pacificandas doctrinæ controuerſias, et de impetranda noſtris Eccleſijs libera illic hybernatione.

Cumq; Nouiomagus inter ſurgendum denuò repeteret, nos à ſe cõdemnatos non eſſe, niſi ſi in doctrina noſtra pertinaciter inſiſtere uelimus. Nos rurſum reſpondemus, nullam illum iuſtam condemnationis noſtri cauſam habere poſſe, etiamſi nos à doctrinà noſtrà nos dimoueri non patiamur. quandoquidem Apoſtolicæ nihilominus confeſsioni (quæ quidem fundamentum eſſet Eccleſiæ) unanimiter inſiſteremus. Tandem ille, ſe quidem non uelle nos amplius condemnare, reſpondet: ſe tamen uehementer nobis metuere, ne, ſi pertinaciter doctrinæ noſtræ inhærere uelimus, omnino condemnemur. Nos porrò ſollicitudinẽ illius pro nobis, quatenus ex charitate proficiſceretur, commendamus:

ſed

ſed metum ſuum illum uanũ eſſe dicimus, cum Paulus Apoſtol⁹ ſepoſito omni iſtiuſmodi metu pronũciet ſaluos fore omnes, qui modo fundamentum retinent, etiamſi illi ſuperſtruant fœnum, ſtipulas, aut ligna, modò illa exuri patiantur. Nos etiam ab omni pertinacia alienos eſſe, ut qui parati ſimus aut noſtra alijs approbare, aut docentibus meliora libẽter cedere. Cæterùm ſi nec Nouiomagus in eo perſtet, quòd nos condemnarit: neq; cõdemnare uelit: id nobis ſatis fore, ſi id publicè teſtetur. Nos porrò ipſum poſtera die expectaturos eſſe, ut nobis reſpondeat: facilemq́; inter nos concordiã fore, ſi utrinq; pariter non noſtram, ſed Chriſti gloriam quæramus. Atque ita ab inuicẽ digreſsi ſumus. Circa cœnam uerò, interea dũ in diuerſorio noſtro menſæ aſsidemus, uenit ad nos Buſcòducenſis, manu geſtans libellũ quendam ſcriptum, in quo ad ſuam doctrinam, in re Euchariſtica comprobandam, quædam conſcripta habere uidebatur: unde inter alia aduerſum nos, magni argumẽti loco, producit ac prælegit exemplum quarundam literarũ Martini (piæ memoriæ) Lutheri, quas non ita pridem ante ſuum exceſſum ſcripſerat, ad Iacobum Probſt, paſtorem Bremenſem, uirum alioqui pientiſsimum. In eis autem inter alia ſic habebatur: Scriptum eſt: Bea-

tus

tus uir qui non abijt in consilio sacramentariorum, et in uia Zuinglianorum non stetit, & in cathedra Tigurinorum nõ sedit. Nos uerò admonemus hominem, memor esset illius sententiæ Apostolicæ: Ne quis glorietur in hominibus. Porrò Psalmi illius citationẽ diximus esse peruersam, tortam, puerilẽ, planeq; ridiculam, & nullius omnino ponderis, ac uiro graui prorsus indignam: & alia quædam in eam sentẽtiam, ut Héricus obmutesceret. Porrò Nouiomagus postridie ad nos non reuertitur, uti se facturũ promiserat: neq; amplius nobis postea uisus est uspiam, cum tamen per triduum deinceps totum illic hæreremus.

Postera igitur die, nempe decimaseptima Nouembris à Rege tres ad nos ueniũt uiri, eius nomine renunciantes, nullum de Religionis negocio colloquium ab eo permissum iri: & absque mora ulla nobis è Regno ipsius discedendũ esse, nisi si & doctrinæ & receptis Regni ipsius Ecclesiasticis ritibus omnibus, nos ipsi accõmodaremus. Imò in mandatis iam esse datum, ut quotquot nostrûm Haffniæ essent reliqui, protinus è Regno cum uniuersa ipsorũ supellectili pellerentur. Verùm si Regis doctrinã ac ceremonias Ecclesiasticas amplecteremur, nos ipsi gratos acceptosque futuros: quibus etiam de uitæ cõmoda ratione pro

spicere

ſpicere uellet. Reſpondemus autem, Nos iam multo quàm antè ſeueriorē audire Regis ſententiam, quam tamen uellemus grato animo è manu Domini Dei noſtri accipere: ut qui de nulla parte falſę doctrinę nobis conſcij, de integritate autem noſtrę cauſæ probè in animis noſtris perſuaſi eſſemꝰ. Voluiſſe nos quidem hactenus, atq; etiamnum uelle quàm libentiſsimè Regis doctrinam & Eccleſiaſticos ritus omnes amplecti, modò uerbo Dei approbentur. Quod dum non fit, iniquum eſſe, ea uel ullorum ſpe commodorum, uel periculorum metu in hominum gratiam contra cōſcientiam ſuſcipere. Quandoquidem (inquiunt illi) ueſtra ſic ſtat ſentētia, protinus uos Rex è ſuo Regno diſcedere iubet. interim tamē ipſe, nō ignarus uos hactenus magnos pro ſuſcepto ad ſe hoc itinere ſumptus feciſſe, aliosq; præterea adhuc facturos eſſe, hoſpitij hic ueſtri ſumptus perſoluet: addito uobis inſuper dono centum thaleronū. Quod quidem donum, cum paululum pecuniæ illic reliquum haberemus, tanquam diuinitùs oblatum accepimus: præſertim cum uel ex eo facilè conſpiceremus, Regem ipſum per ſe non prorſus alienato à nobis eſſe animo: & quod faceret, ipſum nō tam ſua ſponte, quàm alieno potius inſtinctu facere. Ac pro iſthac beneficentia Regia (cu

ius

ius partem aliquã nostris pauperibus Hafniã transmisimus) habitis gratijs, rursum pro hybernatione nostrorum, qui Hafniæ manebant, supplicamus, sed frustra. Paulo pòst sub uesperum nos accedit Buscoducensis: quem, cum multis uerbis testaretur se grauiter Ecclesiæ nostræ uices ac ærumnas dolere, rogamus rursum, apud Regiam M. nostro nomine pro Ecclesiæ nostræ hybernatione supplex instare non grauetur: saltem ut hominibus decrepitis ac mulierculis partui uicinis, ac duobus liberis Ioannis à Lasco, Ioanni nimirum ac Hieronymo, unà cum ipsorũ pædagogo hybernandi potestatem facere dignaretur. Posterò autem die manè, à Rege ille nobis renunciat, nostris, sine exceptione omnibus, prȩterquam duobus liberis Ioannis à Lasco, atq; eorum pædagogo, hybernandi potestatem negatam esse. Imò Regem ipsum, certas ob causas, nolle nos ad nostros Hafniã reuerti: iubere autem, ut per Holsatiam rectà in Germaniam proficiscamur. Atq; uix tandem, noua apud Regem supplicatione per Buscoducen. nostro nomine facta, impetramus, ut Ioanni à Lasco liceat famulũ unà cum literis nostris Hafniam ablegare ad fratres illic nostros, quos in tanta animi de successu nostro suspensione, rerum nostrarum faciamus certiores. Per ipsius autem

tem famulum ad eos inter alia ſcribimus: Ioannem à Laſco (cui Rex Daniæ famulũ quendam ſuum in profectionem noſtram adiunxerat) ac me, Embdam rectà profectu ros: Martinum uerò Micronium eos Lubecæ, aut in finitimis eius partibus, ad ipſorũ conſolationem præſtulaturum eſſe.

¶ Decimanona itaq; Nouembr. die, relicta Coldinga, in Germaniam per Holſatiã proficiſcimur. atq; medio fortè itinere à nobis diuulſus Micronius, Hamburgum, Lubecam, ac demũ Vuiſmariã petit: eo, quod iam dixi, conſilio. Nos porrò quarta Decemb. die Embdam, portum Orientalis Friſiæ celeberrimum, ſalui diuina gratia perue nimus: quò iam multi fratres noſtri ex Anglia cõfluxerant: quibus, atq; adeò toti illic Eccleſiæ (ut totam illius prouinciæ Nobilitatem taceam) quàm gratus fuerit noſter aduentus (præſertim cum de nobis parum aut nihil certi unquam intellexiſſent) uix uerbis exprimere queam. Embda uerò ad fratres noſtros in Anglia (qui magno cognoſcendi aliquid de nobis, inter tam uarios, qui paſsim de nobis uolitabant, rumores, tenebãtur deſiderio, mox literas ſcribo, eosq́ue de ſucceſſu peregrinationis noſtræ certiores facio. Ioannes à Laſco uerò, per famulũ illum Regium, qui nos Embdam uſq; fuerat comitatus, ibidem paulo pòſt

ſcribit

ſcribit literas, uerè liberas & Chriſtianas, ad Regem Daniæ, quarum exemplum ad calcem huius hiſtoriæ uidere licet.

Cum aũt Micronius in Oriẽtalibus illis Germaniæ partib. aliquandiu hæſiſſet, paſſimq́; audiret nullam amplius nauem, eo anni tempore, præ gelu (quod tum erat aſperrimũ) ex Dania, ſine certo periculo appellere poſſe, cogitans noſtros aut tempeſtate aliqua perditos, aut alibi in medio Pelago glacie cõſtrictos hærere, aut ſaltem in Dania adhuc propter gelu hybernare coactos: Embdam ad nos, propter graues alioqui cauſas, celeriter contendit, quò uigeſimooctauo Decembr. die peruenit. Ibi, cũ de noſtris in Dania relictis fratribus admodum eſſemus anxij, ad ſeptimam Ianuarij diem Bartholomæus Huyſmanus Vuiſmaria uenit, nuncians, noſtros omnes diuino beneficio per multa maris tempeſtatum & glaciei pericula, atq; intolerabiles frigorũ moleſtias, tandẽ ſaluos ac incolumes, alios Lubecam, alios autem Vuiſmariam appuliſſe: ad quos Micronius paulò pòſt, ad ipſorum conſolationem, unà cum prędicto Bartholomæo, celeriter proficiſcitur.

Quid uerò noſtris Haffnię, ac tandẽ Vuiſmarię, Lubecę & Hamburgi acciderit, nũc ſummatim, candidè ac ſimpliciter, ordine deſcribam; quemadmodum à noſtris om-

nibus qui ipsimet interfuerunt, post seriã alioqui & exactam rerum omnium disquisitionem, accepimus.

QVID HAFFNIAE NOstris acciderit. Cap. 4.

NAuis illa maior, quæ nostros uehebat, Haffniam tertio Nouẽbris die incolumis appulit. Cumq; uaria existeret populi de fratribus nostris sentẽtia: in ipso telonio primùm, deinde post triduum in ædibus Consulis examinantur: cur in Daniam uenissent, quæ ipsorum esset fides, quæq; singulorum essent nomina & opificia. Ad quę cum à nostris citra ullũ fucũ responsum esset, ac iussu Magistratus sanctè iuratum, se ab anabaptismo, & ab omni aduersus Magistratũ seditione alienos esse, singulorum nomina & opificia describuntur: atq; bono animo, propter Regis pietatem, esse iubentur. quibus præterea Magistratus, conducendarum ædium libertatẽ facit: & exercendi ea potissimùm opificia, quæ certis priuilegijs munita non essent. Adhæc à publicis eos omnibus oneribus liberat: tantum uetat, ne Hermes Backerelius instituendæ iuuentutis munus, quod in Anglia obiuerat, ullo modo prosequatur. Atq; hæc omnia sic se ait statuere, donec de Regis uoluntate certiores fierent. Nostri autem actis Magistratui, pro isthac

huma-

humanitate,gratijs læti discedunt:atq; spe bona de beneuolentia Regis concepta, ædes conducunt, & in hyemem uitę necessaria comparant. Sed ad uigesimum sextũ Nouembris diem, famulus Ioãnis à Lasco ad eos à nobis Coldinga reuersus, quàm tristi loco res positæ essent exponit. Id uerò apud ciues dissimulant nostri, tantisper dũ à Senatu nihil tristius audiũt. Verùm ipsis Calendis Decembr. duo ex nostris, nempe Dauid Simpson natione Scotus, qui uerbi ministrũ in Anglia egerat, & Hermes Backerelius, iuuentutis nostræ moderator, Ecclesiæq; nostræ senior, cui etiam absente Micronio cura & gubernatio Ecclesiæ erat concredita: à consulibus accersiti in Capitulum (ita enim ei loco nomẽ erat) Petrũ Palladium Ecclesię Haffniensis superintendentem adire iubentur; ut ab eo de fide sua examinentur. Conuenerat autem ibi frequens Concionatorum, Magistrorum, & Senatorum cœtus. Quò cum nostri uenissent, sic deinceps est actum.

Colloquium inter Petrum Palladium, *&* Herme-*tem* Backerelium.

Primùm Palladius nostros hortatur, ut suam fidẽ liberè, absq; ullo periculi metu, simpliciter profiteantur. Siquidẽ (inquit) de Religione idem unà nobiscum sentiatis, uos tanquam Dei angelos recipiemus.

Sin uerò dissentiatis, nihil minus tamē omnia humanitatis officia uobis, utpote peregrinis hominibus, libenter, ut par est, pręstabimus. Tum Hermes: Gaudere se dicit, datam sibi esse occasionem, fidem suam publicè, in tam celebri cœtu profitēdi: quā ne apud Tyrannos quidē, eò uocatus, premere uellet. Cunq; is symbolum Apostolicum orsus esset ordine explicare, uoluit Palladius, ut omissa hac ratione, sententiā suam de quibusdam controuersis articulis, nempe de pædobaptismo, de incarnatione Domini, & de cœna Dominica aperiret.

Cœnæ Dominicæ mysterium.

Ibi Hermes paucis proloquitur fidem suā, de ueritate & mysterio incarnationis CHRISTI Domini, de Sacramentis in genere, de baptismi item mysterijs, & quomodo à Baptismi ceremonia infantes nulla scripturæ autoritate excludi posśint. Postmodum de Cœnæ Dominicæ mysterio differit: quod iuxta Pauli interpretationē 1. Corinth. 10, esse ait salutarē nostri cum Christo Domino in corpore & sanguine eius communionem: addens, eam constare fide, non autem reali aliqua corporis & sanguinis Christi sub panis ac uini elementis præsentia, quā tamen ipsi (sic enim loquebatur) sine scripturę autoritate constituerent. Atq; in hac parte doctrinæ, se ab illis dissētire ait, quod eiusmodi carnalis Christi manducatio nul

De spirituali et carnali Christi manducatione.

lis

lis scripturæ testimonijs fulciatur. Ad quæ Palladius: A' se non ita crassam corporis Christi in Cœna statui manducationem, qualis est aut ouis, aut suis: sed spiritualem eam omnino, omnem humani ingenij captum longè excedentem. Hermes uerò ait, unicam tantum, eamq́; etiam supra humani ingenij captum positam in scripturis ab ipsomet CHRISTO Domino statui salutarem carnis suæ manducationem: nempe spiritualem illam per fidem. Cumq́; carnis Christi manducatio carnalis unica etiam duntaxat esse posit, nempe crassa illa, quæ ore fit carnali: & Palladius hanc nobiscum reijciat, & spiritualem agnoscat, non uidere se amplius, in quo dissidij caput sit positum. Ibi rursus inter ipsos multis agi cœptum est, de mysterijs Cœnæ Dominicæ, legitimoq́; eius administrandæ ritu, ac de superstitiosis quibusdã Cœnę ritibus apud eos adhuc ex Papismo reliquis. *Nota.*

Cum uerò disputatio hæc tota intenderetur, surgens quidam nonnihil è cœtu ait latinè (nam antè, propter senatores fortè, Germanicè egerant) sibi non uideri consultum, de tantis mysterijs in eo cœtu disceptare: posse id argumentum alibi, absq; minori offensionis ac scandalorum periculo, tractari commodius. Rectè (inquit Palladius) hic nos mones: nam disputationem

omnem inhibuit Rex. Placuit itaq; omnibus, eiusmodi colloquium in aliud tempus reijcere. Tum tandem Palladius coram uniuerso cœtu in hanc sentẽtiam: Pro hac fidei, inquit, confeſsione, quam ex iſtis uiris audiui, ago gratias Deo, ut quę ab omnibus sectis aliena, pręcipuis Chriſtianę Religionis capitibus cõſentiat. Exiguum duntaxat diſsidium eſt circa Cœnam Dominicam, nõ quidem in præcipua eius parte & myſterio, ſed duntaxat in quæſtione quadam, de modo præſentiæ corporis Chriſti in Cœna. Quod diſsidium ſanè tanti nõ eſt, ut propterea fraternitatis uinculum rumpi à nobis debeat: præſertim cũ in præcipuis articulis Chriſtianę fidei ſit cõſenſus. Quapropter nos decet, homines iſtos in hac fidei ipſorum cõfeſsione pro fratribus complecti, ac pro noſtra facultate auxilio uenire. Ego ſanè eos pro Chriſtianis ac fratribus agnoſco: utque apud uos omnes conſtet me ita de illis ſentire, en publicè data eis dextra id teſtatũ facio. quod cum amanter admodum feciſſet, amicè diſceſſum eſt.

Palladij de noſtris iudicium.

Finis Colloquij.

Eo ſoluto cõuentu, Magiſtratus circiter horã ſecundã pomeridianã iubet alios ſex aut ſeptẽ uiros è noſtris, totius cœt⁹ nomine, ad ædes primarij Cõſulis uenire. Quò cum ſeptem numero uiri, nempe Gellius

Ctema-

Ctemacius, Iacobus Michaelis, Ioannes Riuerius, Paulus Vuingnius, Bartholomæus Huysmãnus, Gerardus Rhenanus, & Ioannes Belius uenissent, Senatus eis Regias literas ostẽdit, quibus ipsi omnes, cum suis, nisi si in Regis sentẽtiam de re sacramentaria descenderent, protinus Regno excedere iubentur. aliàs fieri eis libertatem in Regno manendi. Nostri autem suppliciter Senatum rogant, ut ipsis sub tanta cœli inclementia (erat enim tum sæuissima uentorũ tempestas, frigus acerrimum, & altissima cadebat nix) illic hybernare liceret, cum sine præsenti uitæ periculo, unà cum infantibus & uxorib. suis, & decrepitis aliquot uiris ac mulieribus nusquam traijcere possint. Senatus id negat in sua potestate esse positũ: se Regis esse seruos, cuius iussa exequantur. Attamen post multas nostrorum preces, se apud Regiam M. pro impetranda hybernatione intercessuros esse pollicentur. Solantur eos, ac bono animo esse iubent. Fieri etenim posse aiunt, ut propter asperitatem & inclementiam cœli dilatio aliqua exoretur. Interim tamen (inquiũt) Rex mandat, ut quisq; uestrûm de fide sua, per Palladium examinetur; ad quem mox per Laurentiũ Moel senatorem Haffniensem, & pastorem ad D. Nicolai, deducuntur. Quos cum amicissimè excepisset Palladius,

dius, datisq; dextris amico fratrũ titulo salutasset: sibi à Senatu Regia autoritate demandatum esse ait, ut eos de ipsorum fide examinet, tentetq; num ad suam fidem induci posint. Siquidem id fiat, eos tum nõ fratrum tantum ac ciuium, sed etiam Angelorum loco habitũ iri. Inde ipse suam de re sacramẽtaria sententiá paucis proponit, nostrosq; rogat, uelint'ne in eam quam ex se audissent doctrinam descẽdere? Respondẽt, se ex ipso nondum satis solida audisse argumenta, cur ad illius doctrinã deficerent. iudicare etiam se, talẽ corporis Christi in Cœnæ elementis præsentiá, cum articulo ascẽsionis Christi, & perpetua reditus eius ad iudicium expectatione, ex diametro pugnare. Rogat autem Palladius, an etiam reliqui omnes eiusdem sint in hac re cum ipsis sententiæ. Respondent, id ita se existimare: nolle tamẽ pro omnibus temerè spondere, cum suæ quisq; fidei rationem tenere ac reddere debeat. Placet autem tandem Palladio, ut reliqui per ipsos examinentur, atq; scripto, in qua quisq; sit sententia, sibi tradatur: neminem tamen impedirent, qui Regni Danici doctrinã amplecti uellet. scirent interim, Regem illos nequaquam in suo Regno laturum, imò nullibi eis quietas sedes datum iri, si in sua sententia sacramẽtaria perstarent; quanquam

ipse

ipſe interim de ipſorũ ſalute, propter eam doctrinæ partem, nihil addubitaret: & pro fratribus nihilominus complecteretur, etiamſi in ea parte doctrinæ diſſentirent.

Reſponſum eſt à noſtris, ſe nõ dubitare, quin Dominus alibi ipſis ſedes, pro ſua clementia daturus ſit: ac rogãt Palladium, ut ſuo auxilio & cõſilio eos ad impetrandam illic hybernationẽ iuuet. Qua in re ſuam promittit operã, & amicè datis dextris eos dimittit.

Poſtridie aũt Calend. Decembr. Hermes & Simpſon manè per Laurentiũ Moel accerſiti, rurſum adeunt Palladium: qui cùm de ſacramentis in genere, tum de Baptiſmo & Cœna Dominica, de ueris ac falſis Eccleſiæ ritibus, de iuſta eiuſdem gubernatione, per abolitionẽ eorũ quæ inuexit Papa, & eorum reſtitutionem quæ hactenus adhuc collapſa iacent, modeſtè conferunt. Interea fit domeſtica illa, pridie eius diei à Palladio imperata, ſingulorum de ipſorũ ſententia examinatio: monenturq; diligenter noſtri, ut quiſque ei doctrinæ, quam in ſua conſcientia uerbo Dei magis conſentaneã iudicet, ſpontè & ex animo ſubſcribat: propoſitis ſimul ex ore Palladij periculis, quæ ipſis doctrinæ nomine ferenda forent. Ibi (ſartore quodam excepto, qui de ratione confeſsionis ſuę tunc edendæ, ſe prius con

ſilium

filium capere uelle ait, cum uxore sua, (quę iampridem peregrinationis nauticarumq; molestiarum alioqui tæduerat) omnes do ctrinæ, quam profitemur, se ex animo subscribere testantur: quorum catalogus mox ad Palladium defertur. Qui conspecto catalogo, repetit, eos per Regem eiectum iri, si ita in sua sententia Sacramentaria persistent: se tamen propterea eos non condemnare, imò pro fratribus agnoscere. Nostri autẽ respondent, non posse se bona conscientia ab ea doctrina, quam ueram & salutaribus mysterijs plenam agnoscunt, in hominum gratiam, aut ob periculorum metum deficere: potius se quiduis è manu Domini expectare uelle. rogare tamen interim se obnixè propter Christum, ut ipsis, in pacifica fidei ipsorum confessione, hybernare liceat: atq; ipse apud Regem pro eo hybernationis beneficio intercedere non grauetur. Sanctè hic suam nostris Palladius promittit operam: Tam uerè (inquiens) quàm uiuit Dominus, uos hac in re omnibus modis iuuabo. Igitur nostrorum multi, cum uident intolerabilem uentorum ac frigorũ asperitatem non remittere, quinimò magis magisq; inualescere, niuesq; condensari, ac sibi præterea multa de Regis pietate promittunt, existimant se ante proximum uer nulla ratione eijciendos esse: præsertim

cum

cum Palladius toties repeteret, se eos pro fratribus amplecti: & suam insuper eis, pro impetrãda hybernatione operam apud R. M. sanctè promisisset. Senatus etiam pridie eius diei eos bono animo esse iussisset: rursum quæ ipsis in hyemem deerant, necessaria comparant. Sed hæc spes (heu) miserè eos fefellit: quemadmodum deinceps exponemus.

Quomodo nostri ex Dania pulsi sunt.

Ad diem Decembr. octauum, fratres aliquot utriusq; Ecclesię ad ædes primarij cõsulis, iussu Senatus accersiti, rogãtur, num ipsis in doctrina cum Palladio conueniat? Aiunt, se suam fidem apud ipsum esse professos, in qua per Dei gratiam, uiuere simul ac mori sperent. Si ab ea, ait Senat⁹, uelitis deficere, uos pro fratribus nostris amplexabimur, ac omni beneficiorum genere prosequemur. alioqui erit uobis omnibus ante proximę diei uesperã è Regno discedendum, Rege id ita per literas rursum seueriter mandante. Nostri uerò, fieri non posse aiunt, ut tam breui tẽporis spacio sarcinas suas omnes componant. Multa etiam se in hyemem comparasse, quæ non secum auehere, sed in ciuitate distrahere cogantur. Esse præterea tantam cœli inclementiam, ut se non nisi magno uitæ periculo cum tã misera multarum muliercularum, senũ & infantum

infantum turba, in iter dare poſsint. Rogāt itaq; Senatum, ut is miſericordia flexus, ipſis hybernandi libertatem faciat. Reſpondet conſul, ſe quidem ex animo illorū omnium uices commiſerari: ſed in ſe ſitū non eſſe, ut hic quicquā aduerſus Regis decretū mutet. Ibi cum noſtri rurſum pro hybernatione multis precibus inſtarēt, ſecedere paululum, ac inter ſeſe cōſultare iubentur, uelint'ne Regi hac in parte parêre. Noſtri, habita inter ſe conſultatione, ad Senatū reuocati, rurſum ſe ad preces pro hybernatione conuertunt, ad quas ubi ſenatū propter Regium mandatum planè ſurdum eſſe cōſpiciunt, poſtulant fieri ſibi licentiam conſcribendi libelli ſupplicis ad Regē, pro impetrāda hybernandi facultate. Hîc noſtris exire iuſsis, Senatus conſultat, ijsq́; reuocatis exponit, hoc ſe nō poſſe, nec audere pomittere, quòd ſententiā Regis hac in parte ex uarijs eius literis plenè cognoſceret.

Poſteaquam igitur noſtri de impetranda hybernatione nihil ſpei ſupereſſe uident, ſibi duos ſaltem menſes concedi poſtulāt, promittentes ſe interea ſenſim emigraturos, ut ad finē alterius menſis nemo ipſorū in Regno Danico reperiatur. Illi cōtrà mandatum Regium obtendunt, ſe nullum uidere conſilium longioris moræ impetrandæ. Hic noſtri altius repetentes magnitudinem,

tudinem periculi, si omnes simul tam celeriter, tali cœlo, cum suis decrepitis, infantulis ac uxoribus iter suscipere cogantur: propter CHRISTVM rogant, mensis saltem unius spacium sibi concedi. Ibi Magistratus nonnihil succensere, duriusq; aliquanto nostros alloqui: Cur ipsum sic uexent, rogat, quando aduersus Regis decretum nihil posśint: proinde à uerbis abstineāt, seq; cum suis ad iter parent. Siccine ergo (aiūt nostri) nullus apud uos amplius est misericordiæ locus? Si mora nō potest menstrua obtineri, dies saltem quatuordecim exorare liceat, ut de ædibus nostris ad Pascha cōductis, de lignis item, alijsq; in hyemem cō paratis, ac debitis in ciuitate contractis, interea posśimus statuere, ne cuiquā nostra emigratio sit fraudi. promittūt etiam se interea sensim omnes discessuros: uelleq; ꝓximo die discessus initium à quibusdam facere. Quoq; magistratum magis flectant, exponunt quàm durum ac periculis plenū fuerit, si simul omnes, tanta turba eijciantur. futurum etenim, ut ipsi ubiq; ab omnibus (ad hoc Regis Danici exemplum) temerè ac crudeliter exclusi, cum suis decrepitis, uxorib. & infantibus, præ frigore ac fame in agris palantes, de uita periclitētur. Cumq; turba omnis, pręsertim peregrinorum hominū, facilè sit seditionis ac tumultus

Nostri exponunt pericula.

tus ſuſpicioni obnoxia, ſeſe etiam, præſertim ſic à Rege, tali cœlo profligatos, ubiq; pro ſceleſtis ac ſeditioſis hominibus habendos ac propellendos eſſe. Addunt, non facilè in pagis cibariorum ſatis tantæ turbę inueniri poſſe. Peſte etiam Haffnię graſſante, ipſos tanto numero inde uenientes, ubiq; uel hoc ſolo nomine excluſum iri. Rogant igitur per CHRISTUM, ut Magiſtratus hæc omnia perpendens, quatuordecim dierum ſpacium eis permittat, quo ita ſenſim diſcedere liceat. Senatus autem noſtris paululum ſecedere iuſsis, conſultat: quibus reuocatis dicit, ſibi uehementer dolere, quòd ob Regis acerrimas literas, hoc quod poſtuletur, non audeat permittere. nihilominus tamē ſe eis totum permittere triduum, ut duodecimo Menſis die diſcedant: atq; ad ſummum hora octaua tertij decimi præſentis menſis diei, mane ad unum abſint omnes. Ibi noſtri rurſum precibus inſtant, orātes ſpacium illud duarum hebdomadarum ſibi permitti, cum tanta eſſet cœli inclementia, ut nemo extra ciuitatem, uel ad miliare unum progredi poſsit: neminem tam inhumanum, qui tali cœlo uel canem oberrantem in ſuas ædes non recipiat. Sin omnino abire cogantur, ipſos coactum iri luctuoſam infantum, uxorumq; ſuarum mortem oculis ſuis conſpicere, niſi Deus

miraculo

miraculo aliquo eos ſeruet. In Turcas, aiũt, talis non deſignatur crudelitas, cum tamẽ à uobis pro Chriſtianis agnoſcamur. Tempus igitur illud duarum hebdomadarum denuò ſibi propter CHRISTVM concedi rogant. Cum Senatus ſe hoc propter Regis mandatum iterum negaret facere poſſe, noſtri octiduum petunt. Neq; hoc, ait Conſul, poſſumus, etiamſi capitis noſtri damno hanc dilationem uelimus redimere. Tum noſtrorum fratrum unus in hæc demum uerba erumpit: Poſteaquã apud uos & Regem, nullus nobis clementiæ locus patet, Domino Deo patri noſtro clemẽtiſſimo nos ipſi committimus, is de nobis faciet quod uolet. attamen ſperamus, quòd nos pro ſua bonitate in hac noſtra cruce non ſit deſerturus. Si tamen noſtrûm quiſquam in uitæ ſuæ ueniet diſpendium, ſciatis uos ſanguinis illius reos, Dei uindictã euaſuros non eſſe. Ad quæ uerba multis cùm ſenatoribus tum fratribus noſtris lachrymæ abundè prorumpunt. Atque ita demum ſub ſerum ueſperum hic cœtus diſſoluitur. Sed poſtera die, noſtri apud magiſtratum impetrant cuidam ægro decumbenti uiro, & tribus partui planè uicinis mulieribus, unà cum ipſorum infantibus & puero uni tredecim annorũ, hybernandi poteſtatem: qui ſub initium proximæ

æstatis alios sunt sequuti. Interea uerò nostrorũ aliquot, qui hactenus Hellesnorgæ manserant (inter quos erat Godfredus Vuingius, liberorum Ioannis à Lasco pædagogus) à magistratu Hellesnorgano iubentur Regio nomine, celeriter ad suos Haffniam proficisci, ut unà cum eis primo quoq; tempore in Germaniam soluát. Qui omnes simulatq; Haffniam uenerunt, de sua, in negocio sacramentario, sententia rogati, protinus reliquorum fratrum sententiæ subscribunt: & Regno, nihil iuuante eos priore illa regia (de qua antè diximus) manendi permissione, cum reliquis excedere iubentur. Porrò ad has omnes inexplicabiles Ecclesiæ nostræ calamitates extrema accessisset inopia, nisi Dominus Deus miro consilio prouidisset, per aduẽtum Iacobi Michaelis, Ecclesiæ nostræ Belgicæ diaconi: qui paulo antè, præter omniũ expectationem cum pecuniæ summa aliqua nõ parua ex Anglia & Belgica Rostokio appulerat. Erant enim omnes longa hac peregrinatione uiribus & pecunijs ferè exhausti: ærarium pauperum admodum erat imminutum: et Deus pium quendam senem, Ecclesiæ Gallicæ seniorem, Martinũ Commelinum, uirum diuitem, & in pauperes multo liberalissimum, sextũ circiter mensis Decembris diem Hellesnorgæ è uiuis eripit.

eripit. Cuius pecuniam, quòd inteſtatus obijſſet, magiſtratus Helleſnorganus ſibi uendicabat: tantiſper dum illius amici uenirent, ac ſe ueros eius hęredes legitimè approbarent. Quam tamen pecuniam Stephano Roſeo, peregrinationis noſtrę ſocio, dū legitima procuratione (quam uocant) inſtructus, ſequenti anno à Commelini hæredib. in Daniam mitteretur, reſtituit: defalcatis interim cùm alijs quibuſdam, tum etiam ijs quæ in eius ſepulturā Paſtori numeranda erant. quæ ſanè haud paruo redimenda fuerat, quòd in templo parrochiali facta eſſet ex ipſiuſmet Paſtoris arbitrio, pecuniæ fortè magis quàm pietatis alicuius ſtudio inducti. Is enim doctrinę noſtrę multò erat infeſtiſsimus.

Poſteaquam igitur conſtitutum erat noſtris, ſine comperēdinatione ulla emigrandum eſſe: ipſi, ne uno loco ſimul appellerent, ſeſe in quatuor claſſes partiūtur. quarum una ad portum Geyſer curru uecta, illic per mare Balticum traijceret Roſtokiū: reliquæ autē tres nauigio Roſtokiū, Vuiſmariam & Lubecam peterent.

Cęterùm ad duodecimā Decembris diē, non poterant niſi currus ſex, & nauis una Lubecana, ad iter parari. Qui itaq; iſtis curribus & naui Lubecanæ aſsignati erant, coguntur eo ipſo die, iuſſu Senatus, ciuitatē

relinquere. Et qui curribus per aſperrima frigora & denſam niuem cum ſuis uxoribus & infantulis uehebantur, omniũ paſſim hominũ ludibrijs & calumnijs falſiſſimis in itinere proſcinduntur. Porrò homines illi, qui Lubecanam aſcenderunt nauem, prohibentur ſub capitis periculo, iterum ad terram Danicam appellere: quæcũque tandẽ eos inuadat neceſsitas. Cumq́; ea nauis cum tam triſti decreto in mari nõnihil progreſſa eſſet, oborta tempeſtate, & uento aduerſante, nõ procul à portu iactis anchoris hæret. Ad eundem modum nauis Roſtokiana poſtridie eius diei, ſimili cũ decreto ſoluere cogitur: etiamſi uentus ac tempeſtas nauigationi aduerſarentur. Hæretq́; etiam illa nõ procul à portu, iuxta Lubecanam illam nauem. Cæterùm tertia nauis, uix magno cum labore ad decimumſextum Decembris diem parari, nec niſi Roſtokium conduci poteſt. In eam iubentur noſtri, qui adhuc erant reliqui, eodem die citra moram ullam, ſub capitis periculo aſcendere. Prandio igitur, quod unà un is in ædibus tum ſumebant, ob mandati ſeueritatem interrupto, celeriter ad nauẽ quiſque cum ſarcinula ſua unà tendunt. Cumque ſcaphulas, quibus ad maiorem nauem fit uectio, iam aſcendiſſent, nec niſi mortis imago eorum oculis obuerſaretur, ibi pueri

ri demum alta uoce Psalmũ illum Dauidis secundũ, QVARE FREMVERVNT GENTES, uernacula lingua canere incipiũt: quem reliqui fratres scaphis uecti, ad finem usque prosequuntur.

Ad hoc tam lamentabile spectaculũ multi accurrũt ciues, nec lachrymas cõtinent: & scaphas eas, dum possunt, pedibus & oculis ad littus sequũtur. Cæterùm etiam ea nauis anchoras suas, prope alias duas priores, propter aduersantẽ uentum iacere cogitur. Dum illæ tres simul naues in anchoris fixæ manẽt, fœliciorem uentum in maximis frigoribus expectantes: si aut mare gelu cõcreuisset, aut aduersus uentus spirasset diuti⁹, omnes hauddubiè de uita periclitati fuissent, etiamsi fortè frigorum rigor alioqui remisisset, eo quòd sub capitis periculo illis in terrã Danicam regredi non liceret. Sed quemadmodum Deus afflictorum fratrum nostrorum antea semper misertus fuerat, cùm alibi, tum & Haffniæ, in ea sæuicie pestilentię, quæ tum aliquot hominum milia breui temporis spacio sustulit, à qua ad unum omnes (tametsi pleriq; iam recens peste mortuorum ædes alioqui habitarẽt) prorsus fuerant immunes: ita & tunc pro paterna sua bonitate, eorum miserabatur. Nam decimooctauo Decẽbris die, optatum eis uentum dedit, quo læti intra

biduum omnes in Germaniam ſalui diuino beneficio appellunt. Supereſt iam, ut qd in ciuitatib. oriẽtalib. noſtris acciderit, fideliter ac ſummatim ordine exponamus.

QVID NOSTRIS VVERmundæ & Roſtokij acciderit.

Cap. 5.

PRæfectus Vuermũdanus multis & importunis noſtrorum precibus flexus, quos prior illa nauis Roſtokiana uexerat, quòd alij facere non audebant, alij uerò nolebant, excipit hoſpitio. Sed poſt dies circiter octo, ſuperioris magiſtratus autoritate iubetur ille, niſi de ſua præfectura periclitari uellet, Danicos illos Anabaptiſtas & Sacramentarios (ita enim appellabantur) ædibus ſuis eijcere. Paret ille. Noſtri, etſi ad fidei ſuæ confeſsionem edendam, adq; calumnias depellẽdas ſe paratos eſſe dicerẽt, inauditi tamẽ pelluntur: ac Roſtokium petunt, ubi eos, quos antè curru uectos diximus, ſaluos inueniunt. Sed cum noſtrorum nonnulli, ad iter expeditiores, ſtatim Roſtokio diſcederent Vuiſmariam, magiſtratus ad aliorũ qui remanſerãt pręſentiã, propter intolerabile frigus (ut quidẽ arbitramur) conniuet. Adit interea noſtros paſtor S. Catherinæ Georgius Riken, cum ijs multum diſputans de corporali Chriſti præſentia ſub pane Cœnę: de ritibus etiam

quibuſ-

quibuſdam Papiſticis in Cœnæ adminiſtra tione apud eos adhuc reliquis. Accuſat ille noſtros, quaſi Chriſtum in uerbis ſuis mentitum fuiſſe diceret: erroremq́; uocat, tollere cereorum uſum à Cœnæ adminiſtratione. Cum in diſputando incaleſceret uir ille, à Diabulationibus non abſtinet, ac noſtros ad gehennam prorſus, multis in ipſos iactis conuicijs, condemnat. Reſpondent noſtri, nullũ ſe Chriſto Domino (qui ueritas eſt) mendacium impingere: ſed negare duntaxat falſam eorũ interpretationem. Cumq́; rurſum ille diceret, ſe ab ijs nolle quicquam diſcere: reſpõdent noſtri, ſe quidem linguæ Latinę rudes, ad eum docendum fortè inidoneos eſſe. Eſſe tamẽ inter ſeſe, alium quendam uirum doctum, natione Anglum (is erat Dauid Vuithædus, nauigationis noſtræ Danicæ ſocius, nunc paſtor Anglorũ Francofurti ad Mænum) quem accerſere uelint. Ibi ſtatim ſe ſubducit Georgius ille, neq; ad noſtros amplius eſt reuerſus. Is ipſe apud magiſtratũ effeciſſe putatur, ut noſtri paulo pòſt duodecimum circiter Ianuarij diem, ciuitate pellerentur, cum cœlum eſſet aliàs inclemẽtiſſimum. Quocunq; autem noſtri ueniebãt, omnium cõuicijs cõſpuebantur. Sed Deus omnis cõſolationis pater, pro afflictionum modo ſpirituales addebat conſolationes,

De uerbis Cœnæ.

omnem contemptus acerbitatē lenientes.

QVID NOSTRIS VVISMARIAE accidcrit. Cap. 6.

NAuis ea, quam Haffniæ postremā sol uisse, nec nisi Rostokium cōduci potuisse diximus, cum portum Vuermundanum propemodum attigisset, per ualidum uentum subitò exortum, magnis periculis Vuismariā retruditur. Ibi noua rursum pericula. Nam fluuius tam densa erat glacie concretus, ut nauis uno circiter miliari à ciuitate in medio flumine hærere cogeretur. Et nostri, qui eo adhuc die procurando reliquis in ciuitate hospitio, per glaciem in terram descenderant, rupta aliquot locis glacie, de submersione grauiter periclitantur. Et rursum intēpesta nocte grauis orta tempestas, nauem ita concutit, & glaciē ui uentorum perfractam, tanto impetu ad nauem propellit, ut nauclerus de nauis salute desperans, iubeat omnes qui uitę suæ consultum uelint, unà cum suis infantibus in glaciem, quæ iam arctè nauem cinxerat, insilire. Rebus igitur iam deploratis, id Deus per nostros nauclero dedit consilij, ut anchora in flumine relicta, uentis uela daret: ac omnes quātis simul possent uiribus glaciem à naui retruderēt. Quod ubi magnis laboribus est factum, ad mediū circiter miliare in mare retrogresi, alia iacta anchora,

magno

magno desiderio diem expectant. Simulatq; uerò diluxit, uolebat nauclerus protinus Lubecam tendere: quòd uentus eò spiraret secundus, & sibi grauiter à tempestatibus & glacie metueret. Contrà nostri multarum iam nauigationũ periculosarũ pertęsi, cupiũt in littus proximũ exponi. Commodùm igitur se offert piscator quispiam, qui eorum aliquot sua scapha in insulã Paludanam, ipsis proximam, transuexit. cum reliquis autẽ uolebat nauclerus statim Lubecam nauigasse, nisi fratres illi, qui pridie eius diei quærẽdo hospitio exierãt, celeriter accurrissent, ac reliquos omnes in duas scaphas ibidem conductas magna celeritate recepissent. quos in alteram ripam transposuerũt, ac eo ipso adhuc die Vuismariam ingrediuntur. Nauclerus autem hominibus liberat⁹, cum supellectili celerrimo cursu Tramundã petit. Porrò nostri illi, quos in Paludanã insulam pridie transuectos diximus, ibi diu multumq; in algoribus ac fame cum suis infantulis & decrepitis hominibus oberrantes, uix tandem multis precibus apud rusticum quendam nocturnũ impetrant hospitium. Atq; hi omnes postera die, nempe Decembris 21, Vuismariã magno numero ingrediuntur. Tam uerò lamentabile hoc fuit mulierũ, infantum, ac decrepitorum in tantis frigoribus oberran
 tium

tium spectaculum, ut uel saxea corda ad lachrymas permouisset. Siquidem toto hoc biduo tanta fuit Boreæ & frigorum asperitas, ut aliquot infantibus, ne quid de adultioribus dicam, manus præ frigore tumentes, & genæ silicum propè instar induratæ, uixdum sequēte demum uere ad naturam redierint. Cæterùm magistratus Vuismariensis, illis tanquam hospitibus, ius hospitij ad tempus aliquod humaniter cōcessit: & pleriq; ciuium nostris sub ingressum oppidi, tam miserè afflictis, omnimoda humanitatis officia benignè præstabant.

De conflictu cum Mennone Simonis, alijsq; eius farinæ hominibus.

Erant tunc Vuismariæ quidā homines, ut ibi appellantur, Occidui, qui ipsi principio etiam erga nostros benefici fuerunt. Sed, occasionem huius beneficentiæ, conscientias nostrorū, ac præsertim infirmiorū & simpliciorum, iniectis quibusdam quæstionibus de incarnatione CHRISTI Domini, de pædobaptismo, de Anabaptismo, de iuramento, de usu gladij ciuilis, deq; similibus rebus clam labefactare, eosque ab Ecclesia abducere conabantur. Quæ res Hermeti Backerelio (cui, absente Micronio, Ecclesię cura erat concredita) occasionem præbuit, colloquium de controuersis hisce capitibus, cum ipsorum Doctore Mennone

none Simonis expoſcẽdi: quod tandem 26 Decembris die, in ſuorum ac noſtrorũ præſentia, inter priuatos parietes habetur.

Quanquam uerò per hoc colloquiũ noſtri in ſyncera doctrina facti ſint cõfirmatiores, Micronium tamen multas grauesq́; ob cauſas ſibi adeſſe præſentem cupiunt. Totius itaq; cœtus illius nomine, per Bartholomęum Huyſmannum accerſitus Micronius, celeriter unà cum conſolatorijs meis ad fratres literis Embda, uti ſuprà meminimus, Vuiſmariam cõtendit: quò uigeſimoquinto Ianuarij die incolumis peruenit. Ibi uerò Micronius, intelligẽs noſtros, pręſertim imperitiores ac infirmiores, clanculũ adhuc ſubinde à Mennonitis, doctrinæ nomine infeſtari, colloquium cum Mennone expetit: quod ęgrè tandem obtentũ, ac ſexto Februarij die à ſeptima circiter hora matutina, ad ſeram uſq; ueſperam, citra ullam intermiſsionem habitũ fuit: in quo tractatum eſt, primùm de ea Mennonis iudicandi temeritate, qua in ſcriptis ſuis, ſine ullo diſcrimine paſsim omnes à ſe diſſentientes, præſertim concionatores, pro mundanis, carnalibus, &c. condemnat. Actũ deinde de Magiſtratus autoritate in uſu gladij. adhæc, de diuortio: poſtremò, & quidẽ fuſius, de incarnatione Chriſti Domini.

Cæterùm noſtri per hoc colloquium, in

tractatis

tractatis capitibus redditi multo confirmatissimi, optabant etiam aliud, pro aliorum capitum tractatione cōstitui, quod uix tandem ab antagonistis extorquetur: ad quod etiam illi, non nisi perpaucos uiros, exclusis mulieribus, admittunt. Habitum uerò est illud quintadecima mēsis Febr. In quo cū expectaretur tractatio de Baptismo, de Iureiurando, de Ministrorum uocatione, similibusq; articulis: Menno rursum disputationem orditur de humana Christi Domini natura, cuius originem ex cœlesti Dei patris semine, non autem ex Mariæ uirginis substātia esse asserit. Cunq; in eius quęstionis tractatione totus propemodū dies, reliquis illibatis articulis, consumptus esset, disceditur. Ea uerò quæ in hisce colloquijs dicta factaq; sunt, omnia à Micronio copiose anno 1556 Belgica lingua in lucē sunt data.

Cæterùm Vuismariæ alius pręterea erat Anabaptistarum, à Mennone scilicet excōmunicatorum, cœtus: ad quem Micronius, cum aliquot ex nostris semel atq; iterum accessit, sciscitatum causam eius ipsorum excommunicationis: ac deprehendit, solā fuisse causam, quòd præter Anabaptisticos cōciónatores, alios ex Euangelicis etiā audirēt, eos audire liberū sibi omnino putantes, eamq; libertatē sibi adimi nō ferentes.

De

De periculis eiectionis nostrorum ex ciuitate Vuismariensi.

Dum sic cũ clanculariјs Ecclesiæ nostræ hostibus doctrinę nomine quotidie conflictantur nostri, non sine magna interim ipsorum omnium ex Dei beneficio consolatione ac cõfirmatione: foris ab externis periculis non sunt liberi. Siquidem cum nostri dies circiter quatuordecim Vuismariæ fuissent, magno expulsionis periculo laborant: quod dũ subolfaciunt, illust. duci Megapolitano Ioanni Alberto, qui tum fortè Vuismariæ aderat, circa decimum Ianuarij diem, in Christi nomine humillimè supplicant, ut ipse eos Senatui Vuismariẽsi ad impetrandum hybernandi locum commendare dignaretur: promittentes, se hoc beneficio sine fraude ac dolo cuiusquã usuros. Cæterum illustrissimus Dux, nostros ad Senatũ relegat: qui propter intolerabilem frigorum asperitatẽ, piè ad nostrorũ mansionem conniuet.

Interea uerò Doctor quidam Rostokiensis Henricus Smedenstede cognominat⁹, pro suis concionibus nõ cessat publicè animos ciuium ac Senatus multis magnisq; clamoribus in nostrorum odium accendere. reliqui autem concionatores frigidam suffundunt. Vnde factũ est, ut in perpetuo expulsionis metu uersarentur; uariaque de ipsis

ipſis in plebe exiſteret ſententia, alijs aliud ſuſpicantibus ac comminiſcētibus. Quoſdam inter alia non pudebat, de ipſis in uulgus ſpargere, nocturnos ab ipſis obſeruari cœtus, in quibus promiſcuam cum mulieribus libidinem, extinctis lucernis, exercerent. Modeſtiores interim aliquot ciues, ut certi aliquid de noſtris in tanta ſententiarū uarietate haberent, eos priuatim adeūt, ac diligenter ipſorum omnia explorant. Alij aūt apud Vincentium paſtorem ad S. Georgium efficiunt, ut is prouinciam ſuſcipiat, noſtros de fide ipſorum examinandi. Quē Micronius & Hermes Backerelius duodecimo Febr. die, eo nomine accerſiti, adeūt. Ibi ille inter colloquendū aduerſum ipſos, urget exorciſmi ritum in Baptiſmi cæremonia: uerba illa Chriſti, HOC eſt corpus meum, propriè ac iuxta ſenſum Grammaticum intelligenda: Corpus Chriſti ubiq; realiter exiſtere, atq; adeò etiam in inferno: & Apoſtolum Paulum per κοινωνίαν corporis ac ſanguinis Domini, intellexiſſe realem corporis ac ſanguinis ipſius ſub pane & uino diſtributionem. Sic etiam uerba illa Chriſti, Quod pro uobis datur, interpretatus eſt: quod uobis ſub pane realiter diſtribuitur. Sed cum ea omnia paucis diſſoluiſſet Micronius & Backerelius: nec ſatis aptè ualeret ea quæ contrà ab ipſis obijciebantur

Colloquiū cum Vincentio.

ciebantur diſſoluere, diſputationis partes in doctorem Smedenſtede reijcit: quem uirum, ait, in hac arena Sacramētaria multis iam annis exercitatum, qui minimo labore ipſorum argumenta omnia ualeat diſſoluere. Rogant itaq; noſtri illi uterq;, doctorem illum ad ſuſcipiendū eiuſmodi colloquiū inducat, eiq́; ciues aliquot probos adhibeat. Qua in re cum operā ſuam promiſiſſet Vincentius, amicè diſceditur.

Porrò doctor ille Roſtokius poſtera die manè per honeſtum aliquē ciuem, noſtros in ædes prædictas Vincentij ad primam pomeridiani temporis horam, colloquij cauſa uenire iubet: ſic tamē, ne ullos ciues adducerent. Martinus itaque duobus tantum ſibi ex noſtris adiunctis, nempe Hermete Backerelio, & Godfrido Vuengio, illuc ad conſtitutum tempus uadit. Vincentius porrò Doctorem illum domi ſuæ eſſe negat, noſtrosq́; illos non admiſſos, initio duris uerbis inhumaniſsimè excipit: ac tragicis clamoribus tumultuans, ſeditionis ac hæreſeos crimina ipſis impingit, eosq́; iubet cum ipſorum Swermeria (ita enim loquebatur) ad diabolum abire. Cæterùm illi ad furioſam hanc animi illius impotentiam planè obſtupeſcunt: atq; depulſis illis ſeditionis ac hæreſeos à ſe criminibus petunt, ut quid Swermeriam uocet, ſimul definiat.

finiat. Sed cum eam magis magisq; exacerbari & impotenter affectibus abripi uideant, eam in ipso humanitatem reprehendunt: ac rogant, ubi'nam Doctor ille, qui ipsos accersiri iusserat, inueniri posit, non grauetur indicare. Cum tandē eum apud Henningū Blok ad D. Mariæ pastorem esse fateretur, eò per illius puerum deducuntur: ubi simili excipiuntur humanitate.

De Henningo Block.

Ipsis etenim adhuc cum ostiario colloquentibus, properè ab Henningo accurrēs puellula, Doctorem intus esse negat. Sed cum ab ipso ostiario aliter audiuissent, introgrediuntur. Tum Henningus ex interiori clamās atrio, iubet, ne ipsi intrò admittantur. Doctorem enim cum eiusmodi Swermeris, sacramentarijs, ac hæreticis sermonem miscere nolle. Micronius uerò propius accedens, rogat Henningum, ne præter Christiani hominis, ne dicat pastoris officium, incognitos et inauditos homines ita contumeliose & temerè abigat, ac pro hæreticis condemnet: addens, se nō hęreticos, sed Christianos esse, qui propter CHRISTI Euangelium ac nomē, in uoluntario suo exilio durisimam crucem sustineant. Nec protinus sic pro hæreticis censendos, etiamsi in aliqua parte doctrinæ sibi ab eis aliqua esset dissensio: maximè cū tollendæ ei dissensioni priuatū, modestum

&

& Christianum colloquium cum ipsis eius loci pastoribus non detrectent. Imò (inquit ille) uos scio Swermeros ac Sacramentarios esse, ut qui nolitis realem corporis Christi in Cœna præsentiam agnoscere. Estis proinde hæretici, nec ad ullum prætereà colloquium admittendi. Quandoquidem cum hæreticis non est disputandum. Sic Papa, ait Micronius, aduersus Lutherum olim pugnauit, atq; etiamnum aduersus pios doctores omnes pugnat: idq; compendiariã esse uiam, ad quæuis falsissima, stultissimaq; dogmata inuehẽda, stabiliendaq;. Quid (inquit ille) huc ad turbãdas nostras uenistis Ecclesias? Nisi improbi essetis, in uestra mansissetis patria. Micronius uerò ait, Sese non propter scelus ullũ, sed studio syncerę religionis, sponte patriũ solum iam olim deseruisse. Deinde uerò, se in hac ipsorum Danica peregrinatione, præter omnem ipsorum expectationem, à Deo Vuismariam extrusos esse. Imò (inquit ille) Diabolus uos nebulones huc adduxit, qui nostras bene pacatas turbatis Ecclesias. & siquidẽ sic pergitis, Princeps noster suum in uos gladium stringet. Sed quã nam (aiunt nostri) culpa nos nebulones censeri possumus, ac uestrarum Ecclesiarum turbatores: cum à uobis quotidie, in publicis uestris concionibus pro hæreti-

cis traducti, nos ipsi apud uos per priuatũ colloquium purgare, aut meliora ex uerbo Dei discere parati simus? Vestri esset officij, nos, quos hæreticos censetis, ad eiusmodi inuitare colloquiũ: & iam illud ante quoque à Doctore promissum expetentes, tam indignis modis repellitis? ac etiam gladios innoxijs minitari incipitis? Sed ita semper Euangelica ueritas, innoxio sanguine obsignata fuit: & nos hic toti à diuina pendemus uoluntate. quanquam de uestri Principis pietate multo meliora nobis polliceamur, qui hanc crudelitatem aduersus innoxios uel sola cogitatione in animum suum nolit admittere. Sed tamen interim animi tui crudelitatem prodis, & ostentendis cuius'nam sis spiritus. Hinc Henningus ad nostrorum orationem paulo mansuetior factus, suum seniũ ad ullas amplius disputationes ineptũ, & doctoris occupationes obtendit. Tandem uerò à doctore se sciscitaturũ pollicetur, uelit'ne aliàs sub aliquot ciuium testimonio colloquium cum ipsis suscipere: eiusq; sententiam se ipsis postridie eius diei, per ciuitatis apothecarium uelle significare. Sicq; disceditur. Postera auté die, nempè quartadecima Febr. apothecarius à doctore renunciat, illũ nullam Vuismariæ cum ipsis disputationem uelle suscipere, quòd ibi neq; ministeriũ, neq;

neq; ſtipendium publicum haberet. poſſe uerò ipſos illum ſubſequi Roſtokium, quò breui eſſet abiturus, ubi non grauatim diſputaturus eſſet.

Quando igitur eiuſmodi à doctore & paſtoribus ad declinādum colloquium rimæ quæruntur, nec ceſſant interim noſtros publicè ac priuatim grauiter inſimulare: audiuntq; præterea noſtri, illos multùm de ipſis eijciendis apud magiſtratum laborare: uerentes ne ſubitò per intenſiſsima, quæ adhuc durabant, frigora, ſub infami aliquo hæreſeos aut ſeditionis titulo inauditi pellerentur, cum aliud tuendæ ipſorum innocentiæ non haberent remedium, ſupplicē libellum Senatui ad proximum eius conſeſſum, qui fuit Febr. ſextadecima die, offerunt, hiſce uerbis conſcriptum.

Aequiſsimo prudentiſsimoq; Conſuli ac Senatui ciuitatis Vuiſmarienſis, Dominis noſtris clementiſsimis.

¶ Nos peregrini, qui ante menſem circiter unum, ob Chriſti confeſsionem huc ex Anglia tandem poſt uaria pericula, in ueſtram ciuitatem Vuiſmarienſem cum uxoribus, infantibus & ſenibus noſtris, in ſæuiſsima hyeme uenimus, uobis, Domini clementiſſ. ſumma cum obſeruantia ſupplices ſumus. Non ignoramus Domini gratioſi, quàm ubiq; terrarum ſuſpectus atq;

inuidiæ calumnijsq; obnoxius esse soleat peregrinorum in aliquam ciuitatem aduẽtus: ac proinde ueremur, ne etiam apud uos traducamur, quasi indignissimi, qui à uobis in hac uestra ciuitate ullo modo feramur. Nos porrò nobis bene in omnibus cõscij, supplices uos rogamus, ne ullam contra nos inauditos accusationem, prout diuinum atq; humanum, naturæq; adeò ius postulat, suscipiatis. Quod politiam attinet, nos ea omnia, ut ubiq; semper, ita etiã nunc præstare parati sumus, quæ bonum ciuem decent. In religionis autem fideiq; negocijs, si quid in nobis requiritur, rogamus, ut iuxta Euangelij doctrinam, prius è uerbo Dei, erroris conuincamur: & conuicti, de resipiscẽtia semel atq; iterum admoneamur, quàm uel uitemur, aut reijciamur. Quod si inauditi à uobis ꝓfligamur, quo pacto Dei iudicium (quod citra personarum respectum, secundum ueritatẽ est) olim euasuri sitis, non uidemus. Siquidẽ nos pro ueris Christi membris habetis (ut nos per Dei gratiam esse confidimus) sanè olim etiã, nisi resipiscatis, audietis: Discedite à me maledicti in ignem æternũ. Hospes enim eram, & non collegistis me: & dũ unũ è minimis meis contẽpsistis, me contẽpsistis. Sin uerò nos alienos à Christo esse ꝑ citis, nihilominus nos inauditos eijcien do,

do, extra culpā apud Deū haudquaq̄ (nostro iudicio) esse poteritis, quod nos præiudicijs damnatos, & meliora discere paratos (siquidē errasse, uerbi Diuini autoritate cōuincamur) in meliorem uiam pro uestro officio reducere neglexeritis. Nos eā ipsam doctrinam iam profitemur, quæ non in angulis, sed publicè in Ecclesia inferiorū Germanorum Londini, sub sanctissimo (piæ memoriæ) Rege Eduardo tradita fuit. cui⁹ doctrinæ etiam hodie sub cruce nos nō pudet: eamq; in lucem proferri, & à singulis examinari uehemēter optamus. Omnis enim qui mala agit, odit lucem: qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem. Nos itaq;, uos, supplices per CHRISTVM D. omnium nostrûm iudicē olim futurū, rogamus, ut priusquam graue aliquid cōtra nos statuatur, primùm liberum atq; Christianum nobis colloquium de causa Religionis, uestra autoritate permittatur: ut si meliora nō docere, saltem discere possimus. Atq; hic clemens à uobis responsum expectamus: persuasi, quòd quæ uobis nostro loco constitutis fieri uelletis, eadem nobis, iuxta charitatis regulam, facere uelitis. Deus noster dignetur uestra consilia ad tranquillitatem publicā, & gloriæ Christi in Ecclesia ipsius augmentū dirigere. Amen. Ad hæc, Domini gratiosi, nos paucis ante diebus aliquot

uestræ ciuitatis cõcionatoribus adfuimus, colloquium Christianũ & amicum de controuersis religionis inter nos capitibus cũ illis postulantes: sed huius nihil apud eos impetrare potuimus. Quòd uerò hoc uobis significamus, precamur, ut bene interpretari dignemini. parati enim sumus meliora discere, si ex uerbo Dei errasse conuincamur, & Christianè admoneamur. Illegitimo autem ordine nihil tentare hic uolumus: ac proinde à uobis in hac re clemens & Christianum auxilium et consilium, per Christi nomen, ad ædificationem Ecclesiæ Dei imploramus.

D.V. Clementiss. humilis ac subditiss. seruus Martinus Micronius, consensu & nomine prædictorum Peregrinorum.

De colloquio cum Ioanne Kole, *pastore Vuismariensi.*

Decimaseptima Febr. die, à multis ciuibus certò intelligũt nostri, Ioannẽ Kole publicè pro concione, de ipsis questum esse, quod non tam ab se, quàm ab alijs pastoribus colloquium postulassent: cum tamen ipse alios suos collegas omnes, etsi non ętate, ministerij saltẽ tempore præcederet: essetq; præterea in ea negocij Sacramentarij arena ita exercitatus, ut minimo labore nostris ora obstructurus fuisset, si perinde eũ ut suos collegas compellassent. His audi

tis,

tis, occasionem cum illo agendi nostri quęrunt. Cunq; tertiùm domi suæ eodem die à nostris quæsitus, semper domi esse negatus fuisset: tandem cum tertia uice, circa fores domus ipsius paulisper aliud agentes cunctantur, commodùm è suis prodit ædibus. Cui tum exponit Micronius, quid de ipsius concione audisset ex aliquot ciuibus: ac petit, ut quod publice de colloquio promisit, reipsa præstet. Hic ille totus commotus corpore, clamat se scire, quales nā ipsi sint, quò spectent, quid'ue quærant: sibi iam non esse ocium, de rebus eiusmodi cum ipsis agendi. His dictis, cum celeriter ab ipsis discedere uellet: eum interrogat Micronius, deceret ne Euangelij ministrū, quem Apostolus uelit esse φιλόξενον, peregrinos homines, amicè aliquid, in causa præsertim religionis postulantes, tam contemptim reijcere? Sed ipse nihilominus admodùm turbatus, eos relinquit: repetitq;, sibi ad colloquium nullum iam ociū esse. quē protinus in chorum templi sequutus Iacobus Michaelis, interrogat, quando sibi ad eam rem ocium fore putaret? Id ille se scire negat. ac de famosa quadam schedula, aduersus pastores Vuismarienses ipsorum foribus non ita nuper affixa, cum ipso expostulat. A' qua scriptæ schedulæ culpa cum nostros (utpote patrij illius idiomatis non

prorsus gnaros) liberasset Iacobus, ac colloquio tempus ab ipso cõstitui postularet: tandem ait, se nullum nobiscum de religione colloquium, nisi ex totius Senatus consensu & autoritate, habere uelle.

De nostrorum fratrum ex ciuitate Vuismariensi eiectione.

Decimooctauo Februarij die rumor est per uniuersam ciuitatem, nostros publico Senatus decreto, in omnibus templis iussos intra quatriduum ciuitate egredi. Nostri itaq;, ne quid hic temerè aduersus Senatus decretum committant, pomeridiano eiusdem diei tempore adeunt Henningum Blockium, eumq; rogant, decretum illud magistratus ipsis prælegat. In quo cũ audiunt, solis Anabaptistis & sacramẽtorum prophanatoribus ciuitate interdici: testantur, decretum illud aduersus se non facere, cum neq; Anabaptismi, neq; ullius prophanationis sacramentorum culpa in eis hæreat: nec pro seditiosis, ac magistratui rebellibus ipsos censendos, etiamsi ultra quatriduum illud hęrerent in ciuitate, quam sine suspicione alicuius hic culpæ, cum magna alioqui iustæ suæ causæ infamia non possent deserere. Hic uerò Blokius incandescit, propter nostros potissimũ decretum illud promulgatum esse: eosq; sacramentarios & seditiosos nebulones appellat. Porrò

rò cum nostri se ad edendã spei, fideiq; suæ rationem paratos esse dicerent, ipse suum obtendens senium, quòd illum ad disputationes omnes fecisset ineptũ: Gellij Fabri pastoris Embdani librum, ab ipso nõ ita nuper aduersus Anabaptistas scriptũ, in mensam aduersus nostros producit: asserẽs, eos in eo libro, quales sint, ad uiuum depingi; eorumq́; argumẽta omnia, omni ex parte, facilè solui ac refutari. Dum uerò illius conuicia nostri depellũt, atq; librum illum Gellij (quem antè diligenter legerat Micronius) nihil aduersus se facere ostendunt, en hypocaustum, in quo cõsedebant, Doctor ille Rostokius ingreditur, qui disputandi cum ipsis partes suscipit. quam ipsam disputationem, simul ac reliqua quæ in illis partibus Oriẽtalib. habita sunt colloquia, unà cum supplicationibus ibidem exhibitis, suo quæq; ordine fideliter adscribam: ut ab ipsomet Micronio, sub reliquorũ fratrum, qui unà interfuerũt, testimonio per manus accepi.

Colloquium inter M. *Micronium, &* D. *Henricum Smedenstede, Vuismariæ habitum, anno* 1554, *Febr.* 18.

¶MICRON. Rogamus, domine Doctor, ut benignè nos audias. Dicimus, hodiernum illud Senatus decretũ aduersus Anabaptistas & sacramẽtarios latum, nihil con

tra nos facere: cum à culpa Anabaptiſmi & prophanationis ſacramentorũ omnino ſimus liberi.

D. SMEDEN. Sed in utriuſq; iſtius culpæ ſuſpicionem apud omnes ueniſtis.

MICR. Suſpicio eſt fallax: nec licet ex nuda criminis ſuſpicione quenquam inauditum condemnare. Quoniam uerò ſuſpicionibus falſę doctrinę laborare nos apud multos non ignorabamus: uobiſcũ propterea, ad noſtri purgationẽ, frequenter de doctrina colloquium expetiuimus, atque etiamnum expetimus.

SMED. Si non idem per omnia in negocio ſacramentario cum Doctore Luthero ſentitis, uos eſtis Sacramentarij.

Scripturis, non hominis autoritate agendum eſt, in cauſa religionis.

MICR. Miror domine Doctor, à te in hac de religione cõtrouerſia, primo loco mihi hominis, non autem ſacræ Scripturæ obijci autoritatem. Chriſtus cum Iudæis diſputans, ad Scripturas prouocat: Scrutamini (inquiens) Scripturas. Quod mandatum Chriſti ego hactenus in tanta, noſtro ſeculo, opinionum uarietate ſequutus, ueritatem non ab hominum placitis, ſed Scripturæ ſacræ teſtimonijs petere cõſueui. Quod ipſum etiam Lutherus aduerſus Papam rectè fecit: aliosq; ut in cauſa Religionis idipſum facerẽt, ſæpius fideliter monuit. Rogo te itaq;, ut mihi non hominis alicuius,

ſed ſacræ Scripturę autoritatem & teſtimo nium proponas.

SMED. Ecce Lutherũ iſte cõtemnit, nec tamen pro ſacramentario haberi ſe patitur.

MICR. Cum in controuerſia religionis à Luthero ad ſcripturarũ autoritatem prouoco, non eum propterea contemno: ſed nego duntaxat, eius autoritatẽ in aſtruendo aliquo dogmate, ueluti inuiolabilẽ opponi poſſe, aut oportere. Ita enim ipſi par cũ Prophetis & Apoſtolis autoritas in Eccleſia tribuatur: quod nequaq̃ dari debet.

De Lutheri autoritate.

SMED. Vna eſt eademq́; Lutheri & Pauli doctrina, uera utraq; & indubitata: Sic, ut alterutra probata uel negata, utraq; ſimul probetur, aut negetur. Licet itaq;, in approbanda aliqua doctrina à Lutheri autoritate argumentum ducere.

MICR. Quatenus ſit unà Lutheri Pauliq́; apoſtoli doctrina, id per exactam ſcriptorũ ipſius ad ſcripta Pauli collationem diſcere licet. Etſi quidem detur, unam eſſe, nõ conſequetur propterea, parem eſſe: utriuſq; in probandis aſtruendisq́; dogmatibus autoritatem. Vtq́; liberè dicam: non leuis mihi in Apoſtolos uidetur cõtumelia, cuiquã poſt illos doctori parem cum eis in aſtruendis dogmatibus autoritatem in Eccleſia tribuiſſe.

HERMES BACK. Apoſtolorum miniſte-

rium

rium à reliquorum omniũ, post ipsos, doctorum Ecclesiasticorum uocationem, diligenter distinguere necesse est. Illorũ enim tale fuit ministeriũ, ut cum per illos fixum Ecclesię fundamentum iaciendum esset in tradenda doctrina: gubernante illos Spiritu sancto aberrare non possent. Estq; propterea horum omnium doctrina extra omnem dubitationis suspicionem apud fideles omnes posita. Reliquorum autem omnium post illos, quamlibet excellentium in Ecclesia ministrorum, eiusmodi est conditio, ut cum in doctrina aberrare posśint, eis nõ magis credatur, quàm Scripturis approbare posśint: eorumq; omnium doctrina nullam ex se habet autoritatem, sed duntaxat, quatenus doctrinæ propheticæ & apostolicæ per omnia consentire deprehenditur: debetq; propterea iudicio Ecclesiæ, iuxta Dei uerbũ, semper subiecta manere.

SMICR. Hoc ministrorum Ecclesiæ discrimen Paulus indicare uidetur, cum docet, fideles superstructos fundamento Apostolorum ac Prophetarũ, Ephes. 2. quod aliâs dicit se iecisse fundamentum, reliquis autẽ uidendum quid superstruant: 1 Corinth. 3. In posteriori ministrorum numero Lutherum ponendum esse iudico: ut qui aberrare potuerit, cuiusq; doctrina censurę Ecclesiæ, iuxta Dei uerbum, subiecta manere debeat,

beat, nec liceat à nuda eius autoritate dogma aliquod in Ecclesia astruere.

SMED. Errarunt'ne ergo Titus & Timotheus, quia non fuerunt Apostoli?

MICR. Errare potuerunt, suamq́; doctrinam iuxta septa Apostolicæ doctrinæ concludere debuerũt. Ita enim Timotheo pręcipit Apostolus: Formam (inquit) habeto sanorum sermonum, quos à me didicisti. Itẽ: Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus. Et rursum: Persiste in his quę didicisti. A' quibus pręceptis si desciuissent, errassent haud dubiè. Idem de Luthero iudicandũ censeo.

2. Tim. 1.d

2. Tim. 3.a

2. Tim. 3.d

SMED. Aio doctrinam Lutheri non minus, atq; ipsius Pauli, extra dubitationem omnem esse positam: ac uos Sacramentarios esse, qui eius doctrinam Sacramentariã reijcitis.

MICR. Si doctrina Lutheri, per omnîa, ut dicis, est uera, tũ sanè omnibus scriptis Apostoli, totiq́; adeò scripturæ per omnia consentire debet: & quatenus consentit, haud dubiè est amplexanda: idq́; tamen nõ propter Lutheri nomen aut personam, sed propter consensum Propheticum & Apostolicum. Si ita cuiq; fas erit, doctorẽ, in cuius uerba semel iurauit, in tam sublimẽ gradum extollere, ut in eius doctrinam inquirere nefas putetur: uicerit iam Papa: nullus

deniq;

deniq; erit unquã ſectarũ finis, dum quiſq; pro ſuo depugnabit doctore. & Chriſto Domino, unico noſtro iuxta Scripturam Magiſtro, gloria Magiſterij auferetur, & in alios impiè transferetur. Sed omiſſa hac inuidioſa, de Lutheri perſona, diſceptatione, ad Scripturas ueniamus: aut eius doctrinã ſacramentariã, in quam nos uis deſcẽdere, ſimpliciter tandem, quæ ea ſit, proponas: quã deinde iuxta Scripturas excutiamus.

SMED. Quid hic multis opus eſt uerbis? Doceo, Lutheri doctrinam per omnia eſſe ueram, unamq; cum Apoſtolica doctrina: nec aliud, quoad uixero, ſentiam. teq; Sacramẽtarium eſſe, uel hinc eſt cõſpicuum, quòd de tanti uiri doctrina ſemper inijcis dubitationem.

Magna eius generis hominum à Luthero degeneratio.

MICR. Te hic D. doctor mirari ſatis nequeo, quòd in cõtrouerſia de doctrina ſic à ſcripturis ad Lutheri perſonam declinas, contrà quàm Lutherus ipſe olim cum Papiſtis fecit, qui tum ſemper à doctoribus ad ſcripturas appellauit: uos iam contrà, à ſcripturis ad illũ. Quæ diſputandi ratio ſi eſſet legitima, iam olim uiciſſent Papiſtę Lutherum. Ego uerò grande peccatũ eſſe duco, ſic Lutherũ, aut alium quenquã ab Apoſtolis uerbi miniſtrum, eodé cum Paulo apoſtolo gradu conſtituere: ac uereor, ut non impunitam ſinat Deus hanc ueſtram præpoſteram

posterá de Lutheri autoritate persuasioné.

SMED. Tu'ne illum in doctrina errasse dices, qui primus nostro seculo extinctum propemodum Euangelij lumen in mundũ protulit?

MICR. Fuit hoc sanè præclarũ opus Dei in Luthero, Papæ tyrannidem tanta animi constantia aggredi. Sed nego ipsius doctrinam propterea extra omnem dubitationis aleam, aut probationis examen esse positã. Spiritus sanctus partitur sua cuique dona prout uult: nõ uni dat omnia. Et sæpe qui fuit primus, fit nouissimus. Nemo igitur in hominib. glorietur. Memini etiam me ex integerrimo piæ memoriæ uiro Contrado Pellicano non semel audire, multos eruditos uiros in Germania, priusquàm prodiret Lutherus, Euangelicam doctrinã tenuisse: adeoq; ipsummet Pellicanũ, priusquàm auditum esset Lutheri nomen, uanitaté purgatorij Papistici ipsi Luthero, cum primùm suas positiones publicaret, fortè incognitã, multo antè cognouisse. Et Deus suos nõ temerè quandoq; impingere sinit, nempe ut ipsi humilientur, nec alij de ipsis ultra quàm par est glorientur. Habet Lutherus suum in Ecclesia gradũ, quem nos insignem ei tribuimus: sed cum Apostolis in astruẽdo ullo dogmate nõ æquiparetur.

HEN. BLOK. Valeant domine Doctor ne-

bulones

bulones isti, nec tempus tuũ diutius cum illis teras. Vides te nihil promouere, Hinc extra meas ædes apagite nebulones.

MICR. Obsecro mi Henninge, ab eiusmodi abstineas cõuicijs, nec nostrum cum Doctore colloquium interrumpas.

SMED. Vos Sacramẽtarios esse, non inde tantum manifestum est, quòd Lutheri doctrinam contemnitis: uerùm etiam ex eo, quòd claris Christi Domini uerbis, HOC EST CORPVS MEVM, fidem omnem detrahitis. nec enim licet Christo pronunciante, Hoc est corpus meum, dicere, Hoc nõ est corpus meum.

De uerbis Cœnæ an sint propriè intelligenda.

MICR. Nos uerba illa Christi, iuxta unanimem totius scripturæ consensum, sacramentis familiarem, intellecta, fatemur esse uera: atq; ex uero illorum intellectu summam in sacro Cœnæ usu haurimus consolationem. At sensum illum qui affingitur, uel mutationis panis in corpus Christi, uel delitescentiæ corporis ipsius sub pane, negamus cum mẽte Christi subsistere, sed ex diametro potius cum ea pugnare.

SMED. Verba Christi perspicua sunt, & propriè absq; ullis omnino figuris intelligenda: etiamsi id nostra ratione, in diuinis rebus alioqui cæca, non assequamur.

MICR. Scimus, in diuinis rebus nostram cæcutire rationem: eamq; in mysterijs salu

tis

tis rationi non subiectis, minimè consulendam esse fatemur. Quemadmodum Cœnæ Dominicæ primarium mysteriũ (quod est obsignatio nostræ salutis in unico Christi sacrificio) sola fide, nõ autem ratione humana apprehendi potest. Veritatẽ autem præsentiæ corporis Christi (quod nostro per omnia, quatenus sanè humanæ naturę attinet ueritatẽ, simile Scriptura testatur) ipsemet Christus, etiam post suam resurrectionem, tactus ac uisus iudicio subiecit.

SMED. Nõ est hic physicè de corpore Christi disputãdum, nec nostro per omnia comparandum. Illius enim corpus, diuinitati coniunctum, existit ubiq;, nec ullo loco alligari potest.

MICR. Humanitas Christi non debet in infinitum, propter unionem diuinæ naturæ, diffundi. Vtraq; enim in Christo natura suas seruauit proprietates inuiolatas. alioqui consequeretur, ipsum Christum Dominum, iuxta corpus, âb ipso suæ incarnationis articulo etiam in inferno apud damnatos fuisse.

SMED. Tutissimum est, claris Christi uerbis insistere.

MICR. Si ea uerba ita sunt clara, ut dicis: quî fit, ut Papistæ inde transsubstantiationem, uos autem consubstantiationem eliciatis? Si deniq; uestra doctrina in hac par-

te adeò eſt certa, quid igitur colloquiũ ſub fide proborum teſtium diffugitis?

SMED. Sed quos tu illius colloquij, ſi ullum inſtituatur, teſtes ac iudices eſſe uelis? aliquot'ne tuæ opinionis homines?

MICR. Mihi hic homini peregrino homines incogniti ſunt. Magiſtratus poſsit illi⁹ teſtis eſſe, ac iudex.

SMED. Magiſtratus? Diabolus potius. Quid ille de religione intelligit? Petamus Roſtokium, & ad doctores aut Superintendentem proficiſcamur, qui de colloquio iudicare poterunt.

MICR. Siccine magiſtratum contemnis doctor? Quo iudice precor Papam principio uicit Lutherus, ab omnibus tunc doctorib. ſcholaſticis paſsim damnatus? Quid prẹterea nos ad doctores Roſtokienſes, aut Superintendentem neſcio quem remittis, cum hic Vuiſmariæ per uos publicè accuſemur? Paulus uult epiſcopum, ſeu Eccleſiæ paſtorem, aduerſarijs os obturare: non autem iubet ad alios, neſcio quos abſentes, eos remittere.

Tit.1.c.9.

SMED. Video uos malè uobis conſcios, latêre uelle, ac lucem refugere: poſteaquá doctores Roſtokieñ adire detrectatis.

MICR. Quàm nõ cupiamus latêre, toties à paſtoribus expetita colloquia, & noſtrá ſupplicatio Senatui ante biduũ oblata, ſatis

tis docent. Imò non desunt, qui eo solò nomine seditiosòs nos uocant, quòd sic in publicum prodeamus. Iniqua sanè est hic nostra conditio. Quotidie per uos publicè hęreseos accusamur, & capitis supplicio digni pronunciamur. hic si conniuemus, nobis malè cõscij latêre uelle dicimur. Sin ad nostri purgationẽ modesta expetimus colloquia, seditiosi audimus.

SMED. Vos'ne igitur ullam magistratui obtulistis supplicationem? Ego illam uehementer audire cupiam.

MICR. Ego quàm lubentissimè eam prælegam, quæ sic habet: Nos peregrini, &c. folio 131.

SMED. De hac uestra supplicatione hactenus ne uerbum quidem audiui. Nequeo eam culpare: ac iusta est uestra postulatio, quam magistratus haudquaquam denegare debet. Agnosco etiam pastorũ huius ciuitatis officium esse, uos ad iustum admittere colloquium. Et siquidem ego pastorẽ hic agerem, aut publicum acciperem à ciuitate stipendium, uobiscum de cõtrouersis articulis colloquiũ detrectare nec possem, nec uellem.

MICR. Sed cum tu hic publicè pro cõcionibus doces, deberes sanè etiam hic ad reddendam doctrinæ tuæ rationem paratus esse. Aut si id omnino detrectas, ipsos saltẽ

pastores sui hic officij seriò admonere, ut nos ad colloquium admittant.

SMED. Quod ipsi colloquium ita detrectant, non probo: cum sint pastores loci, & publico alantur stipendio. Nec aliud tibi hic consulere possum, quàm ut ad illustrissimum Principem nostrũ, aut Superintendentem, aut doctores Rostokios colloquij impetrandi causa proficiscaris. Id si facere uoles, ego tibi eò usque uiaticum suppeditabo.

MICR. Quid opus est cum magna temporis iactura aliò proficisci, quando hîc sumus per uos publicè accusati? habeamus etiam te doctorẽ, unà cum Pastoribus præsentem?

SMED. Scis pastores nolle: & cur ego nõ debeam, audisti.

MICR. Quanquam mihi multis nominibus molesta foret eiusmodi profectio, potius tamen quàm cum ignominia ministerij mei latêre uoluisse uidear, paratus sum quocunq; uoles proficisci: modò literas uestra omnium manu subscriptas impetrem, me à uobis omne colloquium negantibus missum uenire.

SMED. Nos tales tibi literas non damus. Sed cum propediem mihi Rostokiũ sit petendum, si tu me eò subsequi, aut comitari uoles, efficiam ut liberum tibi fiat cum do

ctoribus

ſtoribus de cauſa tua agere. Verùm ubi tuã apud illos de re Sacramentaria confeſsionem edideris, num tu res tuas omnes tum ſaluas putabis?

MICR. Papæ tyrannidem (ut audio) in ueſtras Scholas reduxiſtis. Hanc diſputandi rationem, quæ non Scholis Theologicis, ſed ſanguinarijs potius Tyrannorũ tribunalibus conuenit, non à Chriſto didiciſtis: ſed à Papa Antichriſto, qui negata pijs cauſæ ipſorum iuſta ex ſcripturis defenſione, contentus eorum audiuiſſe confeſsionem, eos perſequitur & occidit. Si ſic argumenta doctores uolunt diſſoluere, eos non adibo. Tales enim ſuis uitãdos eſſe monuit Chriſtus: Cauete, inquiens, ab illis hominibus.

SMED. Habẽt illi pro ſe clara Chriſti uerba, HOC EST CORPVS MEVM. Quomodo igitur te id negantem ferant? De uerbis Cœnæ.

MICR. Non de uerborum illorum Chriſti ueritate, ſed de legitimo eorum ſenſu eſt diſſenſio: quorũ falſa interpretatio, ei quæ uera eſt, meritò cedere debet.

SMED. Non ſunt tibi doctores Roſtokij ceſſuri, niſi hanc cõtrariã ſententiã, Hoc nõ eſt corpus meum, alibi in ſcriptis commonſtres: aut ſaltẽ ſyllogiſmo doceas, eam inde ſtatui poſſe. Sed neutrum præſtare unquam poteris.

MICR. Quanquam ea contraria ſententia nuſquam in ſcripturis ad uerbum legatur, facilè tamen, etiam ſyllogiſticè, ex orationis apud Euangeliſtas & Paulum contextu, ex uerbis item circa poculum, præſertim ijs quæ apud Lucam & Paulum leguntur, atq; ex multis alijs ſimilibus & affinibus ſcripturę locis colligi poteſt, ea uerba non propriè, ſed figuratè, iuxta rationē omnium Sacramentorū, intelligi oportere.

SMED. Nulla eſt in uerbis Chriſti figura: oratio eſt clara & propria.

MICR. Ego hactenus propriam horum uerborum Chriſti interpretationem, quæ quadret, nuſquam legere, uel à quoq̃ audire potui. Et ſi tu quam habes, Domine doctor, lubens audiam. Quónā igitur demonſtratiuū illud pronomen (Hoc) refertur?

SMED. Quid neceſſe eſt adeò exactè ſingula illa uerba excutere, cum ſint plana?

MICR. Non poteſt de ullius orationis cōſtare ſententia, ubi nō ſingulæ illius uoces prius rectè intelliguntur. Dic igitur, quid demonſtrat (Hoc?)

SMED. Quid demonſtret aliud, quàm panem?

MICR. Eſt'ne ergo panis ille ſubſtantialiter & propriè corpus Chriſti?

SMED. Nequaquā: ſed in, cum & ſub pane eſt corpus Chriſti.

Illud

MICR. Illud uerò corpus Christi sub pane, est'ne exangue & inanime?

SMED. Nequaquã: sed per corpus Christi intelligitur totus Christ9, Deus & homo.

MICR. Vide iam D. doctor, quàm tu scilicet propriè Christi accipias uerba. Hoc, est tibi eclipticum, pro sub, in, & cum hoc. per corpus Christi intelligis totum Christum, Deum & hominem. Quomodo igitur in illis Christi uerbis negas esse figurã? Quid dices ad ea Lucæ & Pauli uerba, ubi poculũ dicitur Nouum testamentum? an non etiam hic figurata locutio?

SMED. Ita'ne uobiscum disputaremus? quid si uinceretis? actum de nobis esset.

MICR. Quid ais, domine Doctor? Hinc illæ lachrymę, & terginersationes illę uestrę de colloquio. Hinc inquam illæ lachrymæ uestræ?

SMED. Non diffugimus colloquium. pete Rostokium: ibi libertas disputandi tibi fiet. Quis enim hic nostri colloquij esset iudex? Eiusmodi enim de doctrina iudiciũ, non ad magistratum, multo minus ad cerdones, textores, & imperitam plebem, sed ad doctores tantum pertinet.

MICR. Ita'ne Ecclesiam Dei contemnis Doctor? adempta ei omni de doctrinis iudicandi libertate?

SMED. Non concedam hanc libertatem

plebi datam, nisi è Scripturis syllogisticè id doceas.

MICR. Hoc syllogismis probare non erit difficile, petitis argumentis ab exemplo & doctrina Pauli: atq; à mandato, quod de uitandis falsis prophetis, spiritibusq; discernendis in Scripturis datum est. Et Christus à Pontifice de doctrina examinat⁹, non ad doctores Synagogicos, sed ad auditores suos, qui haud dubiè magna ex parte cõstabant plebe, prouocat. Et Lutherus, an non etiam à doctorib. scholasticis ad Ecclesiæ, iuxta Scripturas, iudicium prouocauit?

Hic se ciuis quidam, qui hypocaustũ paulo antè fuerat ingressus, uerbis Micronij cũ stomacho ingerit. Cui⁹ cõuicijs dũ respondere laborat Micronius, Doctor Smedestede et pastor Henningus se clançulũ subducunt. ac sic finis factus est eius colloquij.

Dumq; multũ diuq; expectati intro non redeũt, nec usquam à nostris in domo conspiciũtur, abeunt nostri illi rectà ad Dionysium secretarium, postulaturi ab ipso, ad suam Supplicationẽ responsum. Ille eos ad Consulem relegat: subindicãs interim, id non futurũ aliud, quàm quòd iuxta publicum Senatus decretum ciuitate ad præscriptum diem excedendum esset. Illi uerò dicunt, decretum illud aduersum se, qui apud Pastores & Senatum ab omni Anaba

ptismi

ptiſmi & profanationis ſacramentorũ culpa ſe ipſi purgare ſemper parati fuiſſent, nõ poſſe torqueri. Sed quid (inquit ille) hic potius, quàm in Papiſmo, ueſtram doctrinam tueri uultis? addens, non debuiſſe noſtros ullum à paſtoribus petere de religione colloquiũ: ſed tacitos, cum peregrini eſſent, in ciuitate conquieſcere: præſertim cum ne magiſtratus quidem ipſis colloquium de religione imperare poſſet, à cuius eſſent exempti autoritate. Reſpondent autem noſtri, Papiſtas eſſe capitales Euangelij hoſtes: ſe uerò aliud ſibi de ipſorum concionatoribus promiſiſſe, quorum perpetuis aduerſum eos è ſuggeſto clamoribus adducti fuiſſent, colloquium ab ipſis ad ſui purgationem expetere. Mirari præterea ſe, quòd Paſtores Euangelici, ſic à magiſtratus autoritate exempti dicerentur, ut ab eo ad reddendam doctrinæ rationem cogi non poſsint. Legiſſe ſe quidem multa de Papiſticorum ſacrificulorum exemptione: ſed non exiſtimaſſe, Euangelicos Paſtores talibus gaudere exemptionibus. Miſeram deniq; eſſe Eccleſiæ illius conditionem, ubi Senatus non poſsit ſuos doctores ad reddendam doctrinæ ſuæ rationem cogere. Tandem uerò id ille noſtris conſilij dat, ut cum ſe à paſtoribus læſos querátur, ab eis rurſum ad ſe expurgan

dos colloquium postulent. Id si prorsus detrectét, tum ipsos causam suam posse ad Senatum referre. Mox itaque ad Henningum redeunt, colloquium cum ipso eiusq; collegis postulantes. Is uerò collegarũ suorum omnium nomine postera die responderi iubet, nullum se cum eis neque priuatum neque publicum habere uelle colloquium: si tamen illud omnino habere cupiant, à Senatu literas ad illustrisimũ eorum Principem impetrandas, ut is sua autoritate Rostokij uel Swerini colloquiũ iuxta suum arbitrium instituat, ad quod ipsi tum uocati uenire non grauarentur. Id responsi mox ad secretariũ nostri referunt, consilium ipsius in re tam perplexa postulantes. Respondet uerò ille, nullam de talibus literis à Senatu impetrãdi spem esse: non probari etiam sibi, quòd Pastores sic omne colloquium declinent: seq; aliud fratribus nostris consilium dare tunc nõ posse, quàm ut à Proconsule respõsum ad ipsorum supplicationem petant. Quod ipsi postridie, nempe Februarij uigesima die, faciunt. Sed Proconsul ad eam responsum esse dicit, per publicum Senatus decretũ, quod ipse solus nec posit nec uelit rescindere. Accusat etiam nostros, quòd Baptismum atque Cœnam Dominicam contemnerent. Quando igitur ab ipso aliud non

possunt

possunt exorare fratres illi nostri, nec fidei ipsorum rationem audire sustinent, ac uariarent interim hominum de ipsis sententiæ, consultissimum iudicant, ipsorum fidem & innocentiá in scripto Senatui proponere. Dum in eo conscribendo laborat Micronius, priusquàm scriptum totum absoluitur, omnes nostri uigesimasecunda Februarij die domatim, per publicos apparitores ciuitatem postera die relinquere iubentur. Tum Micronius scriptum illud in formam supplicis libelli conscribi cœptum, celeriter absoluens, à prandio eiusdem diei offert primùm Proconsuli: deinde etiam minori Consuli. Sed cum neuter uellet ad se illud recipere, ac mandatū Senatus urgeret, ipsi, Domino Deo causam suam commendantes, Vuismariam relinquunt: ac postridie eius diei; eius initium discessus facientes, Lubecam proficiscuntur. Quantis uerò nostri passim ab omnibus fuerint conuicijs ac calumnijs in itinere illo expositi, non facile est dictu. Sed Dominus suos nusquam spiritualibus consolationibus destitutos reliquit. Quoniam uerò supplicatio illa à nostris utriq; Consuli oblata, in ciuiū aliquot Vuismariensium manibus relicta est, operæpreciū duximus eam hic ascribere: quæ ad uerbum ita habebat,

Honora-

Honorabili prudentißimoq; Consuli, & æquissimo Senatui ciuitatis Vuismariensis, Dominis nostris clementißimis.

¶Quòd nos miseri peregrini, ob testimonium Christi Domini ex Anglia ante menses sex profecti, iterum uobis supplicamus, precamur uos per CHRISTI nomé, illud in meliorem partem interpretari dignemini: siquidem ad id nos urget necessitas. Cum enim pro Anabaptistis & sacramenti Cœnæ Dominicæ prophanatoribus à multis habeamur, adeoq; etiã ab honorabili Consule, qui nobis ad nostram supplicationé nõ aliud respõsum dare uoluit, quàm quòd decretum illud contra nos esset, quod uestro nomine die Febr. decimaoctaua publicatum fuit: cogimur nostræ adhuc mansionis in uestra ciuitate causas proferre, ne ullus inobedientiæ crimen temerè nobis intentet.

Multis autem rationibus inducti, putamus decretum illud uestrum cõtra nos nihil facere: ac proinde ab inobedientiæ crimine liberos nos esse, etiamsi in uestra ciuitate ultra præscriptum tempus maneam⁹. Primùm enim ab omni anabaptismi & ꝓfanationis Cœnæ Dominicæ culpa alienos nos esse, coram Deo testamur. Si uerò iuxta uestrum decretũ ad præscriptum tempus

pus hinc discederemus, ipsi nos ipsos, cum tamen bene (gratia Deo) nobis conscij simus, accusaremus & condemnaremus.

Non uidemus præterea, quo pacto uestrum decretum, ullo modo contra nos latum esse posit, cum in eo nulla nostri, aut supplicationis nostræ facta sit mentio. Ad hæc, de errore ullo hactenus non sumus legitimè admoniti, & à uobis (in accusatorum nostrorum præsentia) auditi: quemadmodum audiri postulauimus, & adhuc postulamus. Inauditos autem lex non cōdemnat. Non prius ergo decretum illud uestrū cōtra nos facere existimamus, quàm in nostra præsentia de hæresi apud uos accusemur, & legitimè de illa, autoritate uerbi diuini conuincamur.

Postremò nos uestrum decretum sic interpretamur, ut non nisi obstinatos Anabaptistas & Sacramentarios attingat: non autem eos, qui si errant, resipiscere, & ex uerbo Dei meliora discere sunt parati. Nos aūt in nostra, quam habemus, doctrina pertinaces esse nolumus: sed meliora discere è uerbo Dei parati fuimus semper, & adhuc sumus, si Christianè cōuincamur. Absit enim à nobis procul, ut Propheticæ & Apostolicę ueritati ullo modo resistamus, ac tā multa in hoc Mundo ob Christi nomen frustra patiamur.

Ve

Vt autem uos Domini gratiosi certi sitis, nos ab omni hæresi, quæ expulsionem mereatur, procul abesse: fidē nostram paucis ac simpliciter exponemus, illius iudiciū uestræ pietati relinquentes: suppliciterq; rogātes, ut nos licet peregrinos, & hoc nomine apud mundum contemptos, in tam graui causa patienter & clementer audire dignemini.

Fidei confeßio de Christo. Credimus ergo ac profitemur, Dominū nostrum IESVM Christum esse uerbum illud, quod ab æterno Deus ex Deo & apud Deum fuit, æterni Patris ęternus filius, qui in plenitudine temporis ex homine factus est homo, per participationē carnis & sanguinis puerorum, sine ulla tamē peccati cō tagione: quiq; propterea noster est unicus & æternus Pontifex, Propheta & Rex: qui per Regnum suum spirituale magistratum è Mundo non sustulit, sed eum multo magis etiam per Apostolos suos confirmauit. ac proinde fatemur, Christiano licere esse magistratum: cui etiā cum res postulat, sanctum iuramentum præstare licet.

De magistratu.

De iuramēto.

Agnoscimus præterea, non esse alibi salutem positam quàm in unico Christi sacrificio, qui suum corpus in cruce pro peccatis nostris obtulit, & sanguinem suum effudit. Quod unicum humanæ salutis medium atq; remedium, ut in Ecclesia perpe-

tuò

tuò agnoſceretur, atq; ſine perſonarum ex-
ceptione illud ad ſe quiſq; pertinere ſciret:
reliquit in Eccleſia ſua Chriſtus, non Euã-
gelij modò prædicationem, ſed externa e-
tiam quædam ſigilla ſeu Sacramenta, Ba-
ptiſmum uidelicet & Cœnam Dominicã:
quibus Sacramentis duobus ea omnia tri-
buimus, quæ illis unanimi totius ſcriptu-
ræ conſenſu, iuxta fidei analogiam tribui
poſſunt. Baptiſmum agnoſcimus eſſe ſi-
gnaculum diuinæ gratiæ, erga eos omnes
qui teſtimonio Euangelij communionem
habent cum Deo patre & filio et ſpiritu ſan
cto. Debet autem huius Baptiſmi in Eccle-
ſia adminiſtratio, ſine ulla Papiſtica ſuper-
ſtitione, quæ myſterium ipſius obſcurat,
peragi. Damnãtur propterea à nobis in ad-
miniſtratione Baptiſmi illa omnia, quæ ab
hominibus excogitata, dignitatẽ naturáq;
ipſius obſcurant. Pædobaptiſmum autem
in Eccleſia Chriſti locum habere fatemur.
Etenim cũ infantes, teſtimonio Euãgelij,
habeãt cum patre, & filio et ſpiritu ſancto,
& ſint mẽbra Eccleſiæ, quã Chriſtus mun-
dat lauacro aquæ per uerbum: non poteſt
ſanè Baptiſmus illis adimi, niſi ſimul mem
bra Eccleſiæ eſſe, & ſalutarem cum Deo cõ
munionem habere negentur. Pædobaptiſ-
mi interim præpoſteram fiduciam, quæ iã
multos occupat, uehemẽter improbamus.

De Sacramentis.

De Baptiſmo.

Eph. 5.

Ex

Ex hac noſtra confeſsione conſtat, quàm ſimus ab Anabaptiſtis alieni. cõtra quos noſtram (hac in parte) fidem ubiq; parati ſumus etiam publicè, ſi res poſtulet, per Dei gratiam, ex uerbo ipſius, pro noſtra facultate tueri.

De Cœna Domini.

Porrò ſacram Domini Cœnam, cum rectè iuxta mandatum & exemplum Chriſti Apoſtolorumq; adminiſtratur, ſine craſsis & ſuperſtitioſis cæremonijs, quibus ſacerdotalis Chriſti dignitas obſcuratur, agnoſcimus eſſe non nudum & uulgare ſignũ, ſed communionem corporis ac ſanguinis Chriſti: ſeu certum obſignaculum noſtræ cum Chriſto ſalutaris cõmunionis in corpore & ſanguine ipſius, omniumq; bonorum quę ipſe nobis ſalutari corporis ſui hoſtia & effuſiõe ſanguinis promeruit. Quiſquis enim in Dominica Cœna, poſt ueram ſui probationem panem edit, & poculum bibit, tam certò per fidem habet ſalutarem cum Chriſto in corpore & ſanguine ipſius communionem ad uitam æternam, quàm panem fractum edit, & poculum Dominicum bibit. Atq; hoc eſt præcipuum & primarium Cœnæ Dominicæ myſterium: in quo ſumma afflictarum cõſcientiarum poſita eſt conſolatio, atq; inde uariæ ad pietatem uitæ pertinentes deducuntur exhortationes. Hinc fit etiã, quòd in Scripturis hoc

mysterium tam copiose sit explicatum. Ad eius enim explicationem, ne in elementis Cœnæ, pane scilicet & uino, suspensi defixis oculis & sensibus hæreamus, Christus ipse hęc uerba protulit: HOC EST CORPVS MEVM, quod pro uobis datur, frangitur: HOC POCVLVM, nouum testamentum est in meo sanguine: hoc facite in mei commemorationem. Et quod Paulus dicit: Quotiescunq; comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, morté Domini annunciabitis donec uenerit. Hoc tam eximium Cœnæ Dominicæ mysterium cum homines non intelligunt, aut tanquã uulgare nimis contemnunt, in inutiles quæstiones, ac perniciosas, iusto Dei iudicio, incidunt opiniones. quemadmodum Papistas in horrẽdũ illud & idololatricũ trãssubstantiationis dogma lapsos uidemus.

Hæc ergo cum de Cœna Dominica credamus & sentiamus, non uidemur nobis, ulla ratione iusta, pro Sacramenti Cœnæ Dominicæ prophanatoribus & hæreticis habendi. Neq; enim Papistarum more hæresim temere appellare licet, quidquid non per omnia cum recepta semel consuetudine consentit. Si quis tamen ex uerbo Dei doceret, in Cœna Dominica augusti⁹ quiddam & sublimius esse positum, quàm hic per nos est traditum; quòd peccatorum

onere pressas cõscientias solari, Christum in ipsius officio ac naturis illustrare, & cũ totius Scripturæ cõsensu subsistere possit, libenter (nouit Dominus) amplectemur. Hoc enim corã Domino testari possumus, quòd omni nostro studio aliud non quæramus, quàm ut Christus rectè agnoscatur, & uera pietate colatur. atq; ut ipsius Ecclesia, iuxta uerbi diuini regulã instituatur, ijs reiectis quæ induxit Antichristus ad Sacerdotale, Regale & Propheticum Christi munus obscurandum: & reductis illis, quę Christi mandatũ Apostolicumq; testimonium habent. Ac ne ulla ratione hic nostro deessemus officio, & nihil turbato ordine ageremus, sæpe huius uestræ ciuitatis concionatores pręcipuos accessimus, amicum & Christianum colloquium cum illis per Scripturarum (ut decet) collationem expetentes. quod ipsi nobis, tam publicum quàm priuatum, hactenus, contra omnem æquitatem, & proprium ipsorum officiũ, denegarunt. Nam apostolus Paulus ad Timotheum scribens docet, quòd Dei seruũ oporteat placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos, cum mansuetudine erudientẽ eos qui obsistunt. Cuius pręcepti ipsi immemores, nos durius quàm Euangelicos concionatores decet, reiecerũt, quod illis Dominus Deus,

clementer

clementer ignoscat. Hi ergo post negatū sæpius nobis colloquium, nos ad uos relegarunt, ut uos uestris apud illustrissimum Principem literis ageretis de libero et Christiano colloquio, ipsius autoritate instituendo in causa religionis, ad quod ipsi tū accedere uellent: sicq; omne doctrinæ nobiscum examen ab humeris suis excutiūt.

Nos porrò, qui indignis his modis traducimur, & melius institui ex uerbo Dei quęrimus, si erramus: quiq; hic nihil aliud quàm Christi gloriam, Ecclesiæ ædificationem & proximi salutem quærimus, humillimè & cum summa obseruātia, uos Domini gratiosi, supplices rogamus, ut nobis in nostra sancta et iusta causa, pro uestri muneris ratione, in quo à Deo peregrinorum auditores & defensores tutoresque constituti estis, auxilio propter Christū uenire uelitis: atq; uestris cōcionatoribus tanquam Ecclesiæ ministris, nō Dominis, pro uestro officio & autoritate mandare, ut nūc Christianum nobiscum, de causa religionis, ad nostri purgationem, aut meliorem institutionem, & ad Ecclesiæ ædificationē, suscipiant colloquium, idq; sub aliquot proborum senatorū aut ciuium testimonio. Aut si id nunc uobis commodum nō est, precamur ut aliud colloquij temp⁹ pro V. D. arbitratu & autoritate constituatur: ad quod, si

illud ſciamus, uenire per Dei gratiam parati ſumus.

Ad hæc D. V. ſupplices rogamus, ne libertatem hanc noſtrã, licet peregrini ſumus, malè accipiatis: quin potius inde diſcatis, quòd in ueritate ambulamus: aut ſaltem, quòd pertinaces non ſumus, ſi quà erram⁹. Siquidem ullius rei malè nobis conſcij eſſemus, in angulis latêre poſſemus. Iam uerò in lucem uenimus, parati meliora diſcere, ſi autoritate uerbi diuini conuincamur. Si ulla doctrina ſuſpecta haberi debet, ea ſanè erit, quæ ſemper uult tegi: & illi doctores meritò pijs omnib. ſuſpecti eſſe debent, qui doctrinã ſuam ab alijs ad Lydium Scripturæ lapidem nolunt examinari, ſed omnes diſſentientes protinus pro hæreticis apud populum traducunt.

Quod uerò non tam in Germania inferiori in publicum prodimus, contra Papiſticos ſacrificos, quoties nos iniquiſsimè pro hæreticis traducunt, fit, quòd illi Euangelij iurati hoſtes, & Antichriſti ſpiritu demẽtati, nõ per ſeriam Scripturarum collationem, ueritatẽ inquirunt: ſed obſtinatè ſuos errores tuentur, atq; magiſtratum ad illorum prouocant defenſionem, per carceres, gladium, ſaccũ & ignem. A' talibus autem iubet Chriſtus, ut caueamus. Sunt enim cõtra pios, canes & lupi.

Vt

Vt autem finē faciamus, suppliciter uos Domini gratiosi cū omni obseruātia quàm possumus humillimè rogamus, ut clemēs & Christianum responsum nobis, licet peregrinis, propter Christum Dominum dare digneminì: utq́; nos pro rebellibus non habeatis, quòd ad tempus in decreto uestro præscriptum non hinc discesserimus. Deinde, ut nobis Christianum cum Ecclesiarum uestræ ciuitatis ministris colloquiū ad Christi gloriam, & Ecclesiæ ipsius ædificationē permittatis, etiamsi id apud mundum sit inuidiosum & graue. Postremò, uos rogamus, ut erga peregrinos benigni, iuxta mandatum Domini, esse pergatis. Ita enim Domin⁹ uobis & ciuitati uestræ propitius erit. Nos sanè pro V. D. humanitate nobis hac hyeme præstita, magnā gratiam habemus: & nunquam tanti beneficij erimus immemores. sed quocunq; nos Dominus pro sua bonitate deducet, semper pro uobis & totius ciuitatis incolumitate, pro nostris uiribus precabimur.

D. V. humilis & subditissimus famulus,
Martinus Micronius, nomine & consensu prædictorum Peregrinorum.

QVID NOSTRIS FRATRIbus Lubecæ acciderit. *Cap. 7.*

DIximus suprà, nostros Haffnia pulsos, in tres naues distributos fuisse:

quarum una Lubecá tenderet, quæ ad nonamdecimam circiter Decembr. diem Tramundam, portum Lubecanum, appulit. Ibi omnis nostrorum supellex in curribus ad auehendum Lubecam composita, iussu magistratus Lubecani, in maximis frigoribus sistitur: fratresq; ciuitatem aut hospitiũ ullum ingredi prohibentur. Mox è nostris duo Lubecam profecti, Consuli rem omnem exponunt, hospitium hybernum propter CHRISTVM postulantes. seq; id credere testantur, quod breui quadã fidei confessione, quę Belgica lingua anno 1553 nomine Ministrorum Belgicorũ Londinensis Ecclesiæ excusa fuit, quam secum habebant, comprehensum erat. Quam cum unà in templo Consules legissent, nostris ciuitatem ingrediundi libertatem faciunt: & cõsignatis nominibus patrum familiâs, eis solutæ arestationis (quam uocant) literas ad præfectum Tramundanũ tradunt. Quibus præfectus acceptis, omni humanitatis officio nostros prosequitur, et Lubecam omnes cum ipsorum supellectili abire sinit.

Posteaquam uerò ad tertiam usq; Ianuarij diem nostri Lubecæ admodum pacatè manserant, Superintendẽs Lubecanus hospitem ipsorum Galterum Biele aggressus, de eis queritur, quòd parum honorificè de re Sacramentaria loquerentur, adhortans ipsum,

ipſum, moneret eos ſuo nomine, ut deinceps honorificentius ea de re uerba facerét: ac memores ſimul eſſent, tempus decé dierum illis à Magiſtratu pro hoſpitio largitũ, iam præterlapſum eſſe. Dabat interim Galtero marcas Lubecanas (ni fallor) quinq;, in noſtrorum pauperum uſum.

Hęc ubi Paulus uan Vuinchen, Eccleſię noſtræ diaconus, intellexit, poſtridie eius diei Superintendentem accedit: actisq; ei pro eleemoſyna gratijs, teſtatur, noſtros q̈ honorificentiſsimè de ſacro Cœnæ inſtituto ſentire ac loqui. ſe etenim id credere omnes, quod Ioannes à Laſco in ſuo de re Sacramentaria libello ſcripſiſſet: cuius libelli exemplari uno eum donabat. Cũ Superintendens repeteret, noſtris, cum iam tempus à Magiſtratu præſcriptum, præterlapſum eſſet, ciuitatem relinquendam, niſi inobedientiæ crimen uellent incurrere: reſpondet Paulus, ſe nullum hactenus uerbũ de conſtituto aliquo à magiſtratu dierum numero audiſſe: ſed exiſtimare ſe, cõceſſam manendi libertatem, dum mitius clementiusq; cœlum, & ad profectionem commodius daretur. Superintendens uerò ait, certò ſe ſcire, decem duntaxat dierum tempus à Magiſtratu datum eſſe. Se etenim unà cum Magiſtratu ita decreuiſſe. Proinde noſtris abeũdum, niſi in inobedientiæ crimé

uelint incidere. Ibi Paulus propoſita itineris difficultate, cum tanta in peregrino ſolo, infantum, mulierũ, ac decrepitorũ turba, propter CHRISTVM obteſtatur, ut quẽadmodum ſibi Chriſtum cuperet eſſe propitium, & ſecum, tali loco conſtituto agere uellet, eandem noſtris miſericordiã præſtet: ac apud Magiſtratum pro impetranda profectionis dilatione, dum mitius daretur cœlũ, laborare uelit. Ipſe uerò noſtros ad ſenatum relegãs, negat ſe pro ea re apud illum intercedere uelle. Nã quo pacto (inquit) eorum fiam patronus, quorum extiti accuſator? Noſtri igitur, cum aliud non haberent conſilium, ſupplicem libellum, ad impetrandam temporis dilationem, magiſtratui offerũt Ianuarij die 5. cuius exemplar, propter celeritatem, non eſt ſeruatũ.

Porrò totius Senatus nomine unus conſulum octaua Ianuarij die reſpondit, eam ſupplicationem nihil ad ſenatum pertinere. Sed cum tempus præſcriptum eſſet præterlapſum, eis, quemadmodum id antè ex Superintendente intellexerant, abſq; longiori ulla procraſtinatione ciuitate excedẽdum eſſe, His dictis, ipſe conſul protinus domum celeriter properat. Quem Iacobus Michaelis (qui noſtris Vuiſmaria uenerat Lubecã auxilio) ad fores uſq; ædium ipſius ſubſequitur. Conſule porro idem repetente,

petente, Iacobus uehemēti uſus oratione: Miror (inquit) Domine Conſul, non aliā hic, apud uos omnes, inueniri miſericordiā, obteſtamur te per CHRISTVM, præſtā miſericordiā, ut ea tibi à Domino fiat. Quo pacto nos (id tecum precor expende) cum uxoribus, infantibus & ſenibus noſtris, in agris durabimus: cum ipſe à domo ciuica per plateam duntaxat unam domum rediens, iſtam frigoris aſperitatem, probè interim ueſtibus munitus, ferre nequeas? Certè malumus nos ipſi cum noſtris infantib. & uxoribus in ueſtras dare manus, quàm tali cœlo profectionem adeò periculoſam ſuſcipere. ſiquidem miſeram uxorum & infantū noſtrorū mortem in campis præ frigore noſtris oculis coràm conſpicere cogeremur: niſi Deus clementius eos, quàm uos, intueri & tractare uellet. Conſul ad hæc modeſtè admodū reſpondet, ſe de uiris duntaxat fuiſſe locutum. Cum rurſum diceret Iacobus, durum etiam hoc fore, cōiuges in tanta cruce ab inuicem diuelli: duplicari etiam hac ratione peregrinationis ipſorum ſumptus, iam propemodū intolerabiles: Conſul ad eius uerba indoluit, & tractis ſuſpirijs, nullo dato reſponſo, mœſtus domum ſuam ingreditur. Hîc iam noſtri inter malleum & incudem conſtituti, quid potiſsimum facto opus eſſet, ignorât.

Siquidem abirent, obuersabatur illis uxorum infantumq; suorum ac decrepitorum hominum misera mors. Sin manerent, rebellionis aduersum Magistratum suspicionem uerebantur incurrere. Tandem ex communi consensu statuũt, durante ea cœli inclementia in ciuitate manere: præsertim quòd ad postrema Iacobi uerba nihil à Consule responsum esset. Sin denuò sub tã inclementi cœlo exire iuberentur, se ipsos tum uelle cum suis uxoribus et infantibus in Magistratus man⁹ tradere potius, quàm tam periculosam suscipere profectionem. Cæterum Magistratus nostros ad finem usque mensis Febr. benignè admodũ & clementer diuino beneficio tulit: quanquam interim concionatores in suis cõcionibus perpetuò aduersus ipsos clamitarent. Qui uerò sit factum, ut nostri tandem pellerentur, paucis referam. Erant tum Lubecæ Belgæ aliquot, qui nostros in suam secum de carnali corporis Christi in pane Cœnæ præsentia opinionem pertrahere studebãt. In primis uerò id Liuinus quidã Flander, cognomine Papa, moliebatur apud duas uirgines (quarum alteram Deus postmodum, in Polonia, mihi matrimonio cõiunxit) quibus in eum finem quoddam de re Sacramẽtaria scriptum legendum tradidit. Quem Micronius Vuismaria Lubecam re-

uersus

uersus rogat, ut conuocatis quibus uellet, amicis suis, adeoq; etiam concionatoribus ipsis, colloquio tempus ac locum cōstitueret. Ipse igitur Micronium uigesimasexta Febr. die ad ædes mercatoris cuiusdam Belgæ, colloquij habendi causa deducit. Quò cum tres pastores Lubecani, nēpe Petrus, Brictius & Dionysius, accessissent, sic inter ipsos colloqui cœptum est.

Colloquium inter Martinum Micronium, & pastores aliquot Lubecanos, Lubecæ habitum anno 1554, Februarij 26.

¶ MICRON. Quandoquidē me absente, Domini ac fratres mei, Liuinus iste, scripto quodam de re sacramētaria, uirgines duas, peregrinationis nostræ socias, conatus est ab Ecclesia nostra abducere, paratū se esse aiens mihi aduenienti, doctrinæ nostræ sacramentariæ falsitatem ostendere: coactus sum pro ministerij mei fide, colloquiū ab eo hac de re uobiscum in illarum præsentia postulare. Huius itaq; rei causa iam conuenimus: sumq; paratus audire, in quo nostra doctrina falsi per uos accusari queat. modò ex scripturis Christianè & modestè, ut Euangelicos doctores decet, sine tragicis clamoribus & prę iudicijs, & temerarijs apud magistratum nostri delationibus falsisq; accusationibus, quemadmodū Vuismarienses pastores fecerunt, agere placeat.

Nesciui

PETR. Nesciui me disputationis ullius causa huc accersitum fuisse, nec puto meorum collegarum quenquam id cogitasse. Absit uerò à nobis tyrannica omnis aduersum uos cogitatio. Non existimes Martine, tales nos esse homines, q te aut uestrûm quenquam apud magistratum grauare cupiamus, ut nostri causa uel pedem unũ mo uere cogamini. Cæterùm disputationẽ absque Superintendẽtis scitu ac uenia, non audemus tecũ suscipere, ad quam etiam prorsus imparati accessimus.

MICR. Quod nobis in nostra cruce humanitatis officia pollicemini, habem⁹ gratias. Verùm mihi id in uobis nõ probatur, quod præter debitũ uestrę uocationis, priuatum inter parietes colloquium nobiscum subterfugitis. Etenim cum quiuis Christianus semper paratus esse debeat ad reddendam spei quæ in se est rationem, multo magis id faciet Doctor Ecclesię. Nec obtendere potestis, uos imparatos accessisse, cũ ipsi nos quotidie pro uestris concionib. doctrinæ nostræ nomine traducatis, & grauiter condemnetis. Colloquiũ itaq; ordiamur.

PETR. Volumus prius inter nos de hac re foris extra hypocaustum cõsultare: nostrá deinde ad te sententiam referemus.

MICR. Placet, deliberate. [Illis uerò post mediam circiter horam in hypocaustum

ſtum reuerſis, ſic loquitur Petrus.]

PETR. Diligenti habita inter nos conſultatione, exiſtimamus nullum nobis uobiſcum, abſq; Superintendentis uenia, ſuſcipiendum eſſe colloquium. Interim tibi de ſcripto illo licebit cum Liuino agere. Qui ſi tibi reſpõdere nequeat, ad nos id referet: qui tum reſpondendi partes in nos ſuſcipere parati ſumus.

MICR. Hæc ueſtra tergiuerſatio cum ueſtro Paſtorali munere pugnat. Decet enim Eccleſiæ paſtores, ſemper ad reddendã doctrinæ ſuæ rationẽ eſſe paratiſsimos. Non poteſtis igitur, niſi cum magna ueſtri miniſterij infamia colloquium iſtud declinare, præſertim cum à uobis quotidie hæreſeos accuſemur, et è ueſtris ciuitatibus ueluti ſacrorum omnium prophanatores abſq; ulla miſericordia pellamur, & ad gehennam etiã doctrinæ noſtræ nomine à uobis condemnemur. Quæ omnia nobis hauddubiè ſunt acerbiſsima. Leue eſſet à ꝓfeſsis Chriſti hoſtibus talia, aut etiã grauiora propter Chriſtum ſuſtinere: ſed à uobis, quos pro noſtris fratribus & communis Euangelij Chriſti profeſſoribus hactenus duximus, iſtiuſmodi experiri, longè nobis eſt moleſtiſsimũ: maximè cum (Deo teſte) meliora ex uerbo Dei per iuſta colloquia diſcere parati ſimus, nec tñ ad ea uſquã admittamur.

Eſt

PETR. Eſt ſanè durum, ſic ab Eccleſia condemnari: ſed occaſio iſtiuſmodi condemnationis danda non eſſet, nec ſacramenta ſic à uobis prophananda eſſent.

MICR. Non exiſtimamus nos iuſtè ab ulla Eccleſia ſic condemnari poſſe. Sumus enim (Deo gratia) ab omni profanationis ſacramentorum culpa liberi, atq; de Cœna Dominica quàm honorificentiſsimè ſentimus. Agnoſcimus enim, primarium myſterium eſſe, ſalutarem corporis & ſanguinis Chriſti communionem. Qua in re nos inter nos conuenire puto. Supereſt quæſtio, num ad ſalutarem hanc communionem neceſſaria, aut ulla ex parte utilis ſit, carnalis ſubſtantiæ corporis & ſanguinis eius ſub & in pane ac uino præſentia. quod nos negamus, iudicantes eiuſmodi præſentiam inutilem eſſe, atq; impoſsibilem, & cum infinitis propemodũ Scripturæ locis manifeſtiſsimè pugnare.

Cœnæ Dominicæ myſterium.

PETR. Non decet in tanto myſterio quęſtiones de neceſsitate uel utilitate pro rationis humanæ captu inijcere. Simpliciter credendum eſt Chriſto Domino, qui dixit: HOC EST CORPVS MEVM. Et quomodo ea corporis præſentia nõ eſſet utilis, cum eius corpus ſit animæ noſtræ cibus, & morituris uiaticum?

MICR. Non ullum ſub elementis Cœnæ

realiter

realiter delitescẽs corpus, aut sub uino sanguis, sed unicũ duntaxat illud Christi corpus pro nobis semel in mortem oblatum, & eius sanguis semel effusus, sunt uerus animæ nostrę cibus & potus: quibus anima nostra spiritualiter esuriẽs, spiritualiter pascitur, dum sacrificiũ illud corporis & sanguinis Christi uera & uiua fide per Spiritum sanctum apprehẽdit. Quod eximium salutis beneficiũ in Cœna Dominica fidelibus, ex Christi instituto, ad summam illorum consolationem, aduersus omnes dubitationes machinationesq; Satanicas obsignatur. Huc illud pertinet, quòd postquã docuit Christus, se esse panẽ illum uerum, addit: Panis quem ego dabo (uidelicet in mortem) pro mundi uita. his uerbis significans, se eatenus tantum esse animæ nostræ cibum, quatenus pro nobis in mortem oblatus est semel. Hoc eximiũ salutis nostræ in Christo mysteriũ planè obscuratur per uestram doctrinam, per quam homines à carne pro nobis in mortem data, ad imaginarium quendam sub pane delitescentem Christum abducuntur. Quæ uestra doctrina infinitis præterea absurdis referta est.

Quomodo corpus & sanguis Christi sint animæ nostræ cibus ac potus.

PETR. Si pro tua ratione uis diuina omnia æstimare Martine, resurrectionis carnis, multorumq; aliorum articulorũ cum ratione pugnantiũ fides protinus ruet. Proinde

Ratio non cõsulenda.

inde sepositis omnibus fallacibus humanę rationis cogitationibus adhærere claris illis uerbis Domini HOC EST CORPVS MEVM.

MICR. Non sum is, qui de illis fidei negocijs, quæ Deus à ratione & sensibus nostris remota esse uoluit, tamē uerbi sui testimonio patefecit, pro modulo humani mei captus statuere uelim. Tanta procul absit temeritas. Proinde credo resurrectionem carnis, nos in morte Christi uitam habere æternam, aliaq; generis eiusdem multa cum ratione mea pugnantia, eo quòd sunt uerbo Dei cōsentanea. Si ad eum modum doctrina uestra de carnali præsentia è Scripturis doceri posset, amplecterer eam libentissimè. sed ea multifariam cum illis ac fidei nostræ articulis pugnat: absit ut eam pro fidei articulo habeamus.

PETR. An non sufficiunt tibi clara illa Christi uerba, Hoc est corpus meum? Aut uis tu Christo mendacium impingere?

MICR. Verba Christi uera esse fatemur. Sed uobis adhibenda cautio est, ne falsum eis sensum affingatis. Is autē falsus censendus est, qui præterquam quod nullam habet utilitatē, & unanimē scripturæ sensum uiolat, & ipsam præterea corporis Christi ueritatem tollit.

PETR. Hoc uos omnes fallit, quòd Christi corpus ex nostro metientes, physicè de

illo

illo philoſophamini. quod minimè licet.

MICR. Quatenus Chriſtus corporis ſui ueritatem ſenſibus noſtris iudicãdam ſubiecit, non peccamus, ſi ex ipſiuſmet Chriſti iuſſu & exemplo de illius præſentia uel abſentia phyſicè per tactum & uiſum iudicamus. Ipſe enim de corpore ſuo iam demũ glorificato, ad eius approbandam ueritatẽ, ſuis diſcipilis dixit. Videte man⁹ & pedes, palpate, oſſa & carnes habeo: Digitos in latus infer. *De corpore Christi.*

PETR. Vos nihil aliud facitis, quàm ut antitheſes & pugnantia ſcripturæ loca coaceruetis.

MICR. Sed nihil ferè ad eliciendam uerã ſcripturæ ſententiã æquè magis eſt neceſſarium, atq; locorum in ſpeciẽ pugnantiũ diligens collatio.

PETR. Sed ad expediendã eiuſmodi difficultatẽ, multum uos librorũ noſtrorũ lectio iuuaret. Quoniam uerò ueſtros duntaxat admiramini, nec noſtros dignamini legere, in errore ueſtro confirmamini. *De lectione librorũ.*

MICR. Ego in nullius doctoris, q̃ Chriſti Dñi, uerba iuraui: nõ propterea tñ doctorũ ueſtrorũ libros cõtemno, quos frequẽter uolui. ſed eos non ſolos, uerùm adhibito etiam (ut decebat) ſemper pro mea tenuitate Scripturæ iudicio. Poſſem autem uerius dicere, eum eſſe ueſtri erroris fontem,

m quòd

quòd uestros duntaxat, præter modum ullum suspicitis: ac nostros interim non modò non legitis, sed etiam despicitis & execramini: eorumq; lectionem uestris seueriter prohibetis: nobisq; adeò omnibus, nõdum tamen legitimè auditis, aqua & igne interdicitis.

An nos propter nostram doctrinam Sacramentalẽ uitandi simus.

PETR. An nõ dicit Apostolus: Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinã non adfert, nec recipiatis eum, nec Aue ei dixeritis? Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malis. 2 Ioan. 1.

MICRO. Sed hoc dixit Apostolus de ijs tantum, qui reijciebant Christi doctrinam, quam Ioannes Ecclesiæ tradiderat: non autem de ijs, qui Christi corpus sub pane Cœnæ infinitis propemodũ locis substantialiter ac realiter delitescere negarẽt: cum hoc dogma fuerit ipsi Apostolo incognitũ, adeoq; ab ipsomet Euangelij sui capite sexto diligẽter refutatum: ubi docet, unicam tantũ esse salutarẽ & uiuificam carnis Christi manducationem, nempe spiritualem illam, cum per ueram fidem creditur pro nostris peccatis in mortem oblata. Iniquè igitur aduersum nos, qui summa fide Christi doctrinam à Ioanne & reliquis Apostolis traditam amplectimur, illud Ioannis dictũ, propter negatũ uestrum dogma, recens ab hominib. excogitatũ, à uobis detorquetur.

Quin-

PETR. Quin doctrina noſtra Sacramentaria uetus eſt, iam inde ab Apoſtolorũ tẽporibus ſemper in Eccleſia Dei tradita. Veſtra autem noua eſt, per Berengariũ excitata primùm, qui multis propterea concilijs damnatus eſt.

Quæ doctrina Sacramentaria ſit uetus.

MICR. Imò noſtra uetuſtiſsima, & ueſtra nuperrima eſt doctrina: nuſquã aut Apoſtolis aut patrib. melioris ſeculi cognita, ſed ab ijs potius oppugnata. Apoſtoli Chriſtũ non alibi quàm in cœlis quærendũ docẽt. Addit Petrus, quòd cœlum eum accipere oporteat, uſq; ad tempus uiſitationis omnium, &c. Act. 3. Hanc doctrinam omnes Patres conſentienter tradiderunt. Sed cum poſt Eccleſiæ per Gothos & Vandalos deuaſtationem, craſsiſsimi quiq; errores irreperent, & in primis dogma illud carnalis præſentiæ caput ſuum attolleret, ei ſe oppoſuit Berengarius: poſtea iniquis epiſcoporum & monachórum ſententijs damnatus, & tandem ad palinodiam coactus. Penes hiſtorias eſto iudicium. Sed miror quo modo ueſtram doctrinam in Eccleſia perpetuam fuiſſe dicatis, cum palinodia Berengarij (ut quidem in Decretis legitur) ueſtræ nõ cõſentiat doctrinæ: & tranſſubſtantiationis dogma annis iã pluſquã trecentis obtinuerit: niſi fortè ipſam quoq; trãſſubſtantiationẽ agnoſcere pro ueſtra uelitis.

m 2 Tranſ-

PETR. Transſubſtantiationis dogma nō moramur: ſed tantū dicimus, doctrinā de carnali Christi in Cœna præſentia in Eccleſia perpetuam fuiſſe.

De Patrib. MICR. Fateor patres, dum ſtudent ſpirituale Cœnæ Dominicę myſterium craſſo populo commendare, ſic quādoq; locutos fuiſſe, ac ſi carnale quiddam ſub elementis Cœnæ realiter conſtituerent. Sed illi ipſi alijs rurſum locis omnem carnalem imaginationem tollunt, deq́; ueritate corporis Christi conſentienter nobiſcum docent, ac uerba Cœnæ figuratè explicant. Quæ dum multi in patribus non obſeruant, turpiter in eorum lectione impingunt, & uarias inde colligunt ſententias. Sic ex ijſdem Patrū dictis, à uobis conſubſtantiatio, à Papiſtis autem tranſſubſtantiatio colligitur.

De cōciliorum in cauſa Sacramētaria autoritate. PETR. Antè teſtati ſumus, nolle nos ullam tecum, abſq; uenia Superintendentis, diſputationem ſuſcipere: qua etiam nō admodum opus eſt. Certa etenim eſt noſtra doctrina Sacramētaria, quam his tam multis annis cum pace Eccleſiæ tradidimus. Eſtq́; præterea in comitijs Auguſtanis ex omnium Principum, adeoq́; Imperatoris ipſius conſenſu approbata.

MICR. Miror uos in hac de religione controuerſia ad cōmunia cum Papiſtis patrocinia confugere: & quid obſecro hic ualebit

bit Imperatoris autoritas, quem Euangeli cæ doctrinæ persecutorem esse constat? Rectè docuit Lutherus, orthodoxę doctrinę regulam peti oportere non ab ullis Conciliis, Comitijs, aut Principibus, sed à Scriptura: quæ sola ab omnibus humanis affectibus libera, ueritatis est indubitata regula. Quare omissa hac inuidiosa Principum & Comitiorum commemoratione, ad Scripturas ueniamus. Et quo pacto ea Comitia aduersum nos faciant, cum ad ea neq; acciti, neq; legitimè unquam auditi simus? *Lutheri doctrina.*

PETR. Estis frequenter auditi & cõuicti, adeoq; in concilio Vercellensi cõdemnati.

MICR. Legitimum de hac re sacramentaria colloquium, quale Lutherus in sua causa à Papistis iure postulauit, institutum unquam fuisse, nusquam legi. Nam quod de Vercellensi concilio dicis, illud nõ fuit nisi improborum monachorũ & episcoporum aliquot cõciliabulum. Multi è suggesto, nemine cõtradicente, nostram doctrinam Sacramentariam pro falsa temerè quotidie condemnãt, & suam indubitatam esse iactitant: uerùm si res ad iustum ueniret colloquium, euentus (uti speramus) longè aliud doceret.

PETR. Nequaq̃, cum pro nobis stent illa uerba Christi, Hoc est corp⁹ meũ: de quorũ ueritate nemo debet dubitare, aut potest. *De ueritate uerborũ Christi.*

MICR. Non dicimus ea esse falsa, quod inuidiose nobis semper impingitis: sed interpretationem eorum requirimus, fidei analogiæ & Scripturæ toti cōsentientem: unde utilitas aliqua redeat ad afflictas piorū cōscientias, nec uiolet ueritatē naturę corporis Christi, neç dignitatem sacerdotij ipsius obscuret.

PETR. Clariora sunt ea Christi uerba, q̃ ut ullā ijs interpretationē op⁹ sit adhibere.

MICR. Si tam sunt clara, ut dicis, quî fit ut Papistę inde transubstantiationem, uos autem consubstantiationem eliciatis? Non possent ex tam perspicuis uerbis tam pugnantia colligi dogmata.

PETR. Clara esse dico, & citra ullam omnino figuram accipienda.

MICR. Doceas (quæso) uerba hæç sacramentalia, contra omnium aliorū sacramentorum naturam, propriè accipi oportere. Quanquam nō existimem, uos ea iuxta uestram sententiam propriè interpretari posse. quid enim pronomine demonstratiuo (Hoc) demonstrari putas?

PETR. Panem ipsum.

MICR. Ille'ne ergo est propriè corpus Christi?

PETR. Est: quia id Christus pronunciauit. quanquam id humana ratio non assequatur.

Non

MICR. Non probatur ergo tibi ea interpretatio, Hoc, id eſt In,cum, & ſub hoc eſt corpus?

PETR. Minimè. Simpliciter in uerbis Chriſti inhærendum eſſe cenſeo, qui diſertè pronunciat, Hoc, hoc (inquam) eſt corpus meum.

MICR. Tamen ita ecliptice interpretantur Lutherus, D. Smedenſtede, & autor huius ſcripti, quod uirginibus, ſororibus noſtris, fuit traditum. Quomodo igitur hæc uerba amplius dici poſſunt perſpicua?

PETR. Credo uerbis Chriſti, qui eſt ueritas, & omnipotens.

MICR. Iiſdem argumentis ſuam idololatricam tranſubſtantiationem fucant Papiſtæ. Si Papiſta quiſpiam talibus argumentis, quæ à ueritate, claritate & efficacia uerborũ Chriſti omnipotẽtis ducuntur, tranſſubſtantiationem ſuam conetur approbare, ea quæſo quomodo diluas?

PETR. Nos ſimplicißimis Chriſti uerbis, citra figuram ullam intellectis, contenti ſumus. Omnia enim in tota Cœnæ actione propriißimè accipienda ſunt.

MICR. Quid? an non in uoce (Frangitur) eſt enallage temporis?

PETR. Nequaquam: ſed frangi eſt hic diſtribui. Nam Chriſti corpus ſub pane Cœnæ diſtribuitur.

MICR. Quid ergo in uerbis circa poculũ significat ea uox Funditur?

COLLEGA PETRI. Sub frangendi uoce paſsio denotatur, quæ ad totum humiliationis Christi tempus refertur.

MICR. Eſt igitur figura in uocibus, Frangitur & Funditur.

PETR. Vos per eiuſmodi figuratas ueſtras interpretationes, nudum in Cœna Dominica panem conſtituitis.

MICR. Eſt quidem panis ille nudus à reali corporis Chriſti ſubſtantia: ſed non eius pro noſtris peccatis fracti & mactati myſterio. Verùm dic obſecro, an Baptiſmum propterea cenſes nudum eſſe, quòd in ea non ſit realiter ſanguis Chriſti?

PETR. Sed in cœna habemus clara Chriſti uerba, Hoc eſt corpus meum.

MICR. Verum. at ijs non carnalis aliqua corporis Chriſti præſentia traditur, ſed ijs uerbis ſuos admonet Chriſtus, quid in ipſa actione Cœnæ fide contemplari debeant: nempe ipſius corpus ſemel in mortem pro ipſis oblatum, & ſanguinem effuſum. fitq; ad hunc modum ſpirituale epulum fideliũ.

PETR. Vos in Anglia admodũ contẽptim Cœnam Dominicã celebraſtis: quapropter iam, & ꝓpter doctrinã ueſtrã ſacramẽtariã, uniuerſum Regnũ pœnas luit. Alioqui religionis in eo ſtatus facilè ſaluus manſiſſet.

Cœnæ administratio.

Quàm

MICR. Quàm dignè & diligẽter in Cœnę actione uersati sumus, multi oculati testes docere possunt. & ab hac calumnia liberat nos Liber rituũ nostrorum Ecclesiasticorũ. Regnum uerò Angliæ suæ ingratitudinis pœnas, à ueris Christi ministris ei multo antè prædictas, iam luit. Mirum sanè est mihi, quòd ex euentu externarum rerum, de doctrinæ ueritate statuis. Sic Papism⁹ & Mahometismus facilè munirentur. At doctrinæ iudiciũ non ex incerto rerum euentu, sed unanimi Scripturę consensu peti debet. Quem cum nos beneficio Dei retineamus, à nullo possumus iure falsæ doctrinæ aut hæreseos insimulari.

PETR. Sed uos uerbis Christi fidem derogatis.

MICR. Nostras rationes surda aure præteritis, atque ad eadem semper, quasi ad ea nihil esset responsum, recurritis: nec uidetis quomodo, per uestram doctrinam, corporis Christi ueritatem planè subuertatis. *De corpore Christi.*

PETR. Erratis, quòd Christi corpus semper ex nostro metiri uultis, cum longè diuersum sit. Intrauit enim Christus per ianuas clausas, & mari inambulauit.

MICR. Et Petrus super mare ambulauit. Erat enim ipsum miraculum potius in mari, quàm in Petri corpore. Christum uerò ianuam corpore suo penetrasse, nusquam in Scripturis legitur. Sed ianuis clausis ad di-

ſcipulos ueniſſe dicitur: ad denotandũ tem pus, uel diſcipulorum metum. Alioqui dixiſſet Euangeliſta, per ianuas clauſas.

PETR. Hæc tua eſt interpretatio. Ego Chriſti corpus ex meo nolo metiri. Sed cũ diuinitati ſit coniunctum, non in uno tantum eſſe loco, ut noſtrum: id iá ubiq; exiſtit, adeoq; in omni gramine terræ. Quî igitur illud à Cœna Domini excludi poſsit?

Vbiqueitas corporis Chriſti.

MICR. Agnoſcimus in Chriſto Domino humanam pariter & diuinam naturam, ita tamen, ut naturarum proprietates non ſeſe mutuò tollant: utq; diuinam non arctat humana, ſic rurſum humanam nõ per omnia dilatat & expandit diuina. Hoc dogma ueſtrum de ubiqueitate Chriſti, Eccleſię Dei prorſus incognitũ eſt. Paulus docet, Chriſtum per omnia fratribus ſuis ſimilem eſſe factum: Hebr. 2. Angelus de Chriſto dicit: Non eſt hic. Et ipſemet Chriſtus de ſeipſo dixit diſcipulis: Gaudeo propter uos quòd non eram ibi. Io. 11. Et rurſum: Me non ſemper habebitis. Quis ueterum doctorum, corpus Chriſti ubiq; exiſtere unquam docuit? ex qua corporis Chriſti ubiqueitate cõſequeretur, noſtra olim in reſurrectione corpora ubiq; futura, cum Chriſtus, iuxta doctrinam Pauli, noſtra uilia corpora reddet conformia ſuo glorioſo corpori. Imò conſequeretur, Chriſti corpus etiam num

In inferno apud damnatos esse.

PETR. Quid ni etiam ibi sit?

MICR. Id quomodo scripturis probas?

PETR. Illis uerbis prophetæ Dauidis: Si ascendero in cœlum,tu illic es:si descendero in infernum,ades.

MICR. Ita'ne hæc Prophetæ uerba ad Christi corpus detorquetis? planè obstupesco. Ah quò uos De⁹ iusto suo iudicio,propter uestram pertinaciam, qua ueritati resistitis,prolabi patitur.

HOSPES DOMVS. Quid sic exclamas Martine? Tu Christum aliquando in inferno reperies.

MICR. Christus dixit suis: Vado uobis paraturus locum. Rursum: Volo,pater, ut ubi ego sum,ibi sit minister meus. Eum autem locū parari credo non in gehenna, sed supra nubes in cœlo. Quandoquidem uerò uos Christum corporaliter in inferno constituitis,eum ibi,si placet,quærere poteritis:ego illum,ut in scripturis iussus sum,supra nubes in cœlo quæram,ubi ego locum ab ipso mihi paratum esse credo. Eò ego aspiro,quò ipsum ascendisse,ibiq; ad dexteram patris,iuxta Catholicæ nostræ fidei articulum,considere profiteor:& inde ego illum,non autem ex inferno,ad iudicium rediturum expecto.

PETR. Ille fidei nostræ articulus, quo

Christus

Christus ad dexteram Dei sedere dicitur, ubiqueitatem corporis eius, cum dextera Dei ubiq; sit, plenè confirmat.

MICR. Ad dexteram Patris Christus duplici ratione esse dicitur. Vna, quòd ipse q prius in mundo contemptus erat, summā in cœlo fœlicitatem apud Patrē obtineat: ita enim dextera Dei sinistræ opposita accipitur. Altera, quòd sit omnium rerum cū Patre Dominus, suas ubiq; uires ad Ecclesiæ suæ salutem ac defensionem potenter exerens. Atq; uox Sedendi fixam & perpetuam indicat eam Christi cùm gloriam, tū potentiam. Quid hæc obsecro faciunt pro corporis ipsius ubiqueitate? quæ legitimū Cœnæ Dominicæ usum tollit, & Christi Domini sacerdotium obscurat. Paulus enim docet, Christum eo nomine præstantiorem Aarone sacerdotem esse factū, quod cœlum, non manu factum tabernaculū ingressus sit: addens, Christum non fore sacerdotem, si in terris esset: Hebr. 8.

De dextera Dei.

PETR. An tu Christum existimas in cœlo tanquā carceri inclusum, & sutoris instar certo affixum loco desidere?

MICR. Absint prophanæ eiusmodi cogitationes. Certū est, Christi corpus esse unicum, illudq; in cœlis supra nubes: quemadmodum scriptura loquitur, Mar. 16. Actor. 7. Nec ego cœlum illud uel carcerē, uel sutoriam

toriam aliquam officinam esse duco. Deum precor, nobis omnibus in tali olim cũ Christo carcere esse liceat.

PETR. Sed an nõ Apostolus clarè docet, Christum ascẽdisse, ut impleret omnia, suo scilicet corpore? *Locus Pauli Eph. 4.*

MICR. Proximis deinde uerbis indicat Paulus, Christũ implesse omnia donis suis, quæ opulentè in suam effudit Ecclesiam, dans Apostolos, prophetas, pastores, &c.

PETR. Sed nisi corpus Christi ubiq; existeret, eius humanitas à diuinitate discerperetur.

MICR. Minimè. sic enim, Scriptura teste, humana simul & diuina natura sunt in Christo unita, ut quæq; suas retineat proprietates. Sed quãdoquidem urgetis, Christi corpus ubiq; existere, modò ab eius incarnationis mysterio, modò autem ab eius ascensione & consessu ad dexteram Dei: dicite quæso, quãdo nam existimetis corpus Christi cœpisse ubiq; existere, in momentó ne incarnationis, an ascensionis suæ?

PETR. Testatus sum antè nõ semel, nos disputationis causa huc non uenisse, neq; uelle absq; Superintendentis uenia illam prosequi. Surgamus.

COLL. PETRI. Et me iamiam aliò mea uocant negocia: abeamus.

MICR. Siccine disceditis, nullo ad postremam

mam meam quæſtionem dato reſponſo?

PETR. Quid dicimus, mi collega? ſanè cum Chriſtus eſſet in domo Annæ, non ſimul erat in domo Caiphæ.

MART. Non fuit igitur ante aſcenſionẽ ubiq;.

COLLEG. PETR. Tempus illud ante aſcenſionem, fuit humiliationis tempus.

MART. Quaſi uidelicet multum gloriæ corpori Chriſti per eam ubiqueitatẽ acceſſurum fuiſſet. Cum igitur iuxta ueſtrã ſententiam, corpus Chriſti in aſcenſione primùm cœperit ubiq; exiſtere, quid ergo urgetis humanitatẽ Diuinitati coniunctam? An non etiam ante aſcenſionẽ Deus fuit? Quomodo etiam ſuum corpus ſingulis Apoſtolis in prima Cœna dare potuiſſet, cũ nondum (ut dicitis) ubiq; iuxta corpus exiſteret?

PETR. Agemus cum Superintendente noſtro, ut alius colloquio dies deſignetur.

MICR. Vt uultis: at precamur, ne exemplo paſtorum Vuiſmarienſium, aduerſum nos interea Magiſtratum concitetis.

PETR. Abſit hoc à nobis, qui te hac in parte iubemus cum tuis eſſe ſecurum.

COLLOQVII LVBECAni finis.

¶ Cum noſtri alterum cum Superintendente amicum & Chriſtianũ, quemadmodum

dum Petrus promiſerat, colloquium ſperarent: en poſtera die mane, dum quæ pridie inter colloquendũ dicta factaq; erant, omnia conſignat Micronius, publicus apparitor hoſpitem ipſorum iubet ad Senatũ, unà cum ſuis peregrinis hoſpitib. hora ſecunda pomeridiana uenire. Ibi fratrũ omnium conſilium fuit, ut Micronius paululum extra portam ciuitatis periculorũ metu ſecederet: ita tamẽ, ut ſi ipſi ſpem ullam impetrãdi cum paſtoribus colloquij uiderent, eum protinus reuocarét. Sed nullam omnino uident. Mandatum eſt enim ijs, ut intra quatriduum ciuitate excederent omnes. Poſteaquam uerò nullis precibus, ullam, propter uxores, infantes & ſenes ſuos, uiribus iam exhauſtos, dilationẽ impetrare poſſent (quantum hic culpæ in Paſtoribus hæreat, iudicabit Dominus) parent noſtri, & Hamburgum petunt. Erant autem, quocunq; ueniebant, ómnium ferè cachinnis expoſiti, omnibus grauiſsima quæq; de illis ſuſpicantibus. Sed iam narrandum erit, quid noſtris Hamburgi cciderit.

QVID FRATRIBVS NOSTRIS *Hamburgi acciderit.* Cap. 8.

MVtato in Anglia religionis ſtatu, multi peregrinę Eccleſię Londinenſis fratres Hamburgum, circa finem mẽſis

Octobris

Octobris nauigabant, ut ibi rerum Anglicarum & nauigationis nostræ Danicæ successum expectarent. Eos Hamburgani ciues admodũ benignè principiò ferebant. Sed mox Pastores aliquot, eos pro suis concionibus in omnium inuidiam uocabant, eosq; pro Swermeris insectabãtur. Et quãto rumor magis increbresceret, fratres nostros è Dania pulsos, Vuismariæ & Lubecæ hybernare: tãto illi aduersum eos clamabãt intentius, nostrorumq; causam odiosi⁹ grauabant: eos seditiosis Ambsterdamẽsibus, & Monasteriensibus, alijsq; deploratis hominibus annumerantes.

Postquam uerò Micronius Hamburgũ Lubeca ad primum Martij diem reuersus, ex fratribus hæc omnia intelligeret: se iustissimas habere uidet causas, petendi cum pastoribus colloquij, ad Ecclesiæ sibi concreditæ purgationẽ. Sed ueritus, ne pastores Hamburgani, exemplo Vuismariensiũ & Lubecensiũ, colloquij postulatione crabronum instar magis irritarentur, dissimulatis hisce iniurijs, decreuit ciuitatem pertransire: prius tamen nostros tam Gallicæ quàm Belgicæ linguæ fratres omnes domatim uisere proponit, eosq; in ipsorum cruce solari. Id cum tertio Martij die faceret, & ad ædes fratris cuiusdam nostri Ioannis Du four ueniret, narrat ille, sibi paucis antè

ántè diebus Vueſtphalum adfuiſſe, qui inter alia dixiſſet, ſe cupere, ſi Hamburgū ueniret Micronius, ne eo inſalutato diſcederet. Addebat præterea ille, iudicem ordinarium Ioannem nomine, ipſi ſuam promiſiſſe operam, ad impetrandū (ſi uellet) cum paſtoribus colloquium. Quibus auditis, operæ precium ex aliorum etiam fratrū aſſenſu duxit Micronius, colloquium omninò cum paſtoribus poſtulare: ne ſuo ſilentio infamiam aliquam bonæ ſuæ cauſæ inureret. Vtq; ſeſe ſimul ab omni turbarū ſuſpicione liberaret, prius iudicem illum hac de re conſulendum cenſuit. quem ipſe, adiunctis ſibi Iacobo Michaelis & Ioanne illo Du four, eo ipſo die in illius ædes accedit: ijsque quæ ex Ioanne Du four audiuiſſet expoſitis, conſiliū eius de colloquio, ſub teſtimonio proborū aliquot hominū & magiſtratus arbitrio ad id delectorū cum paſtoribus impetrando poſtulat. Cum ipſe inter alia diceret, nō mouendas turbas: reſpondet Micronius, ſe facto ipſo ſatis docere, quàm à mouendis turbis ſit alienus, ut qui nihil abſq; illius aſſenſu hic tentare uoluerit, nec adhuc uelit. cumq; aſſeueraret ſe uniuerſam doctrinam Propheticam & Apoſtolicam amplecti, Iudex aduocato apparitori mandat, ut ipſum ad Vueſtphalū ducat, qui amicè eum audiret, ac de fide

n explorarct;

exploraret, num ea Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ, quemadmodum dixerat, esset consentanea. Et si quidem dissentanea esset, nihilominus tamen eos amicè in uiá reuocare studeret. Sic ad Vuestphalum in ipsius ædes per apparitorem ducuntur. Cum uerò ille ipsos in suũ deduxisset Museum, narrat Micronius, quæ ex Ioanne Du four audisset, quid egisset cum Iudice, & quæ præcipua esset sui ad eum accessus causa: nempe ut Christianum, amicum, & ab omni tyrãnide liberum colloquium in præsentia omnium pastorum & aliquot ciuium exorare posit. Sicq; inter ipsos, ubi alius quispiam accesisset pastor, colloqui cœptum est. Cuius colloquij summa paucis comprehensa sic habet.

Colloquium prius inter Ioachimum Vuestphalum & M. Micronium Hamburgi in illius ædibus habitum, anno. 1554, Mart. 3.

¶VVESTPH. Grata mihi est hæc uestra parrhesia, quòd non in angulis delitescere, sed in lucem prodire uultis. Colloquium tibi permittemus liberũ, absq; ullo tyrannidis metu. Siquidem in Rep. Romana linguæ fuerunt liberę, multo magis eas in Ecclesia liberas esse decet. Cæterùm quia mihi hodie propter conciones proximæ diei tecum colloqui non uacabit, in aliud tempus id differemus: daboque operam, ut ex

aliorum

aliorum pastorũ assensu, in eorum omniũ ac ciuium aliquot præsentia colloquium tecum habeatur, non quidem nostri, sed uestri duntaxat causa. Sumus enim de nostra doctrina certi: sed cuperemus uos in eandem nobiscum ueritatis doctrinam descendere.

MICR. Optarim colloquium illud, multis de causis, primo quoq; tempore, citra ullam dilationem institui posse. Quanquam uerò de nostra quam profitemur doctrina simus certi, nullius falsi dogmatis nobis male conscij: si tamen per imprudentiam alicubi errasse, ex uerbo Dei, cõuincamur, libenter id corrigemus. Nihil enim magis in uotis habemus, quàm ut isthæc tristissima doctrinarum dissidia ex uerbo Dei cõponantur.

VVESTPH. In hac, de negocio Sacramentario, sententiarum uarietate, una duntaxat doctrina uera esse potest, quæ, reliquis omnibus abiectis, unicè sit amplexenda. De ueritate autem doctrinæ nostræ Sacramentariæ nihil est ambigendum, cum ea in omnib⁹ Saxonicis & Oriẽtalibus Ecclesijs, ut à sanctissimis uiris & pręceptoribus suis eam acceperunt, unanimi consensu tradatur. Falsa igitur & repudianda est contraria Zwinglij sententia, quæ in prędictis Ecclesijs est damnata.

De Ecclesiarum in doctrina aliqua consensu.

MICR. De controuersa aliqua doctrina, non ex unanimi multarum Ecclesiarũ consensu, sed tamen ex concentu Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ statui debet. alioqui triumpharet Papa. Nec fas est doctrinã aliquam pro unius hominis arbitratu statim hæreseos in Ecclesia damnare. aliâs etiã nullus esset unquã hæresum modus, nec finis.

VVESTPH. Ecclesię nostrę Saxonicę sunt Ecclesiæ Dei. Sed Ecclesia Dei, in doctrina aberrare non potest. Igitur in doctrina Sacramentaria illæ non errant. Proinde falso dogmate decepti sunt omnes, quotquot contrariam Zwinglij doctrinam sectantur.

An Ecclesia Dei uspiam errare posit.

MICR. Ecclesia Dei ex loco æstimari nõ debet. Vtq; Londinum non facit Ecclesiã Dei, ita nec Hamburgũ, aut Lubeca. Nulla præterea est Ecclesia præter Propheticam & Apostolicam, quæ non in quibusdã hallucinari quãdoq; posit. quod ipsum quoque Lutherus docuit.

VVESTPH. Ecclesia Dei, quia in uerbo eius manet, aberrare nequit. Ecclesias autẽ Saxonicas, cum tu Ecclesias esse Dei negare non posis: consequitur, eas rectè de cœna Dominica sentire. Nam quòd Luther' Ecclesiam scribit errare posse, de Papistica, non de Christi sensit Ecclesia.

MICR. Imò de uera Christi Ecclesia loquitur

tur Lutherus, quæ ex humana quadam imbecillitate in quibusdam nonnunquam impingit. Ex parte enim prophetamus. Et fit quandoq;, ut eximius aliquis doctor alicubi turpiter hallucinetur. quem mox deinde alij, præpostero quodam zelo incitati, temerè & pertinaciter imitantur. Hinc etiam sæpe errores in Ecclesia oboriuntur. Sed dum Ecclesia uerbo Dei, iuxta ipsius mentem insistit, non aberrat. Proinde approbanda uenit doctrina Ecclesiæ omnis, non ex Ecclesiarum aliquot consensu, sed uerbi Diuini autoritate. 1. Cor. 13.

VVESTPH. Necesse est in hac causa Sacramentaria uel Lutherum errasse, uel ipsum Zwinglium. Dic utrum tu errasse, ac propterea condemnandum putes?

MICR. Ego in neutrius uerba iuraui: & in religionis causa, non ab ullius hominis, sed sacræ duntaxat Scripturæ pendeo autoritate.

VVEST. Dico alterum eorum in hac causa Sacramentaria errasse, ac condemnatum esse: dic utrum tu condemnes?

MICR. Neutrum condemnare uolo.

VVESTPH. Quid ita?

MICR. Vetuit id Christus: Ne, inquit, iudicetis. Math. 7.

VVESTPH. Ha ha he. siccine scripturam intelligis, ut putes Christi uerbis iudicium

de doctoribus prohiberi?

MICR. Ego eiusmodi de personis iudiciũ liberum nobis non esse nego. Interim sunt discernendi doctores, eorumq́; dogmata: sed non protinus ad gehennam condemnādi sunt omnes, quotquot alibi per ignorantiam impingunt. An non Augustinus, uir tantus, quandoq; lapsus est? Origenes quàm turpiter sępe hallucinatur? Ad nęuos in specioso corpore conniuendum est.

De Augustino.

VVESTPH. Augustinus, quia fundamentum salutaris doctrinę constanter retinuit, propter suos quosdam errores cōdemnandus non est.

MICR. Verè retinuit uir ille doctrinę Propheticæ & Apostolicæ de Christo fundamentum. De eo enim docuit, quòd sit in una persona uerus Deus, & homo: qui iuxta diuinam suam naturam & ueritatem sit ubique, iuxta humanam uerò duntaxat in cœlo.

VVEST. Vos sinistro duntaxat oculo Augustinum legitis, quem ad uestras partes trahitis, cum potius clarissimè nostram doctrinam multis approbet locis.

MICR. Quæ uos ex Augustino uestræ doctrinæ testimonia desumitis, eadem Papistæ ad confirmandam suam transsubstantiationem (uobis, ut quidem opinor, reiectam) producunt. Quo pacto igitur illa te-

stimonia

ſtimonia pro ueſtra cõſubſtantiationis doctrina ſunt clara? Sed reuera neq; uos, neque Papiſtas iuuant. Verùm his omiſsis, te per Chriſtum rogo mi Vueſtphale, ne ita temerè nos omnes, à te in doctrina Sacramentaria diſſentientes, ad gehennam condemnes, cum Apoſtolicæ & Propheticę de Chriſto doctrinæ fundamentum retineamus. Talibus autem etiam ipſe Apoſtolus ſalutem promiſit, modò ſuas ſtipulas exuri patiantur: 1. Cor. 3.

VVEST. Ha ha ha, egregius ſanè diſputator es. Tibi'ne negocium ſacramentarium eſt ſtipula? Cur igitur mouetis turbas? Ito iam diſputator, ac nos etiam per te uictos eſſe iactita, teq; egregios de nobis triumphos reportaſſe gloriare: quemadmodum hic paſsim de Lubecanis abs te uictis glorioſe iactitaſti.

MICR. Abſint riſus ac cachinni, in re tam ſeria. Scio ſtipulam non eſſe, ſi quis uniuer ſum negocium ſacramentarium peſſundet & cõculcet. Ago nunc tantum de ea doctri næ noſtræ parte, in qua à uobis diſſentim⁹: quam negamus ulla ratione fundamẽto ſa lutis aduerſari. ſed ea de re in proximo colloquio agere licebit. De Lubecanis autẽ à me uictis, nuſquã iactaui: ſed rogat⁹, rem, ut geſta eſt, perpaucis expoſui. qui ſanè, nullo ad poſtremam noſtram quæſtionem

dato responso, discesserunt. Sed hæc sinamus: ac te rursum Vuestphale per Christũ obtestor; ne ita nos publicè pro concionibus tuis traducas, & fœdis titulis præter meritum omne nostrũ infames. Amicè potius nos inter nos agamus, de ijs quę in nobis requiris.

VVEST. Adulari nequeo: & in docendo cogor latronem uocare latroné, furem furem, & lupum lupũ: idq; nõ est traducere.

MICR. Sed negamus nos esse latrones, lupos aut falsos doctores. audiamur à te prius, ac uerbi diuini autoritate erroris conuincamur, quàm sic publicè condemnemur.

VVEST. Estis in Marpurgico colloquio auditi, ac uicti.

MICR. Hoc negant Tigurini, qui illud colloquiũ pro se facere existimãt. Vtinã iustũ aliquando ea de re habeatur colloquiũ.

VVESTPH. Certior est nostra doctrina sacramẽtaria, quàm ut multis ad eius approbationem cõcilijs, disputationibus aut colloquijs opus sit amplius.

MICR. Quo pacto igitur in libello tuo cui titulum facis, DE RECTA FIDE, doctrinam tuam sacramentariam Ecclesiæ subijcis iudicio, si in eam nullo modo inquirere licet: & omnes à te hac in parte dissentientes, protinus pro hęreticis cõdemnas: Consilium hic tuum intelligere nequeo.

Ego

VVESTH. Ego doctrinam meam sacramẽtariam non Londinensi, sed Ecclesiæ Dei Hamburgensi iudicandam proposui.

MICR. Licet'ne ergo omnibus Hamburgi habitantibus, tutò in tuam istam doctrinam inquirere?

VVESTPH. Licet omnibus fidelibus.

MICR. Hoc est scilicet, tecum in re sacramentaria sentientibus. nam reliquos ducis pro hæreticis. At qui unius tecum sunt sententiæ, non inquirent in tuam doctrinam, de qua nihil dubitant. Cæteris non licebit tutò id facere. Frustra igitur doctrinã tuam Ecclesiæ subijcis iudicio.

VVEST. Quid in re tam certa, tam multis opus est disputationibus? Non dubium etiam est, quin uos in uestra conscientia de falsitate doctrinę uestræ conuicti sitis: cum nos contrà, in nostra conscientia, de ueritate doctrinę nostræ simus persuasissimi. Atque fiducia huius nostræ bonæ cõsciẽtię, ausus fui me Caluino similibusq; gigantibus opponere, eosq; in me prouocare.

MICR. Nos, gratia sit Deo, de ueritate doctrinæ nostræ nõ dubitamus: alioquin tam graues nolimus eius nomine sustinere molestias. Sed ubi ad colloquiũ uentum erit, dispiciemus utra doctrina uerior sit. Dico uos de falsitate uestræ doctrinę in conscientia conuictos esse.

VVEST. Atq; esto illa prima futuri colloquij nostri quæstio. Nam uos in uestra conscientia, de doctrina uestra sacramentaria persuasi sitis. Sed tempus labitur: efficiá ut primo quoque die (uti postulas) colloquium inter nos, certis tamen conditionibus instituatur.

MICR. Ego nullas uestras conditiones, modò iustæ sint & æquę, reijciam: tantum peto, ut pastores omnes & ciues aliquot colloquij testes adhibeantur.

VVEST. Ne quid de nobis queraris, liberum tibi absque ullis conditionibus colloquiũ permittemus. Sed uide, ne eruditioni tuæ plus æquo fidas.

MICR. Nihil mihi tribuo, & paratus sum semper meliorib. è uerbo Dei productis cedere. Ita datis utrinq; dextris disceditur.

COLLOQVII FINIS.

¶ Postera die ad Vuestphalum hora post meridiem prima uenire iussus Micronius, illuc uadit, adiũctis sibi Dauide Simpsone, Iacobo Michaelis, & Ioáne à furno. Vuestphalo autem aderant concionatores quinque, & scholæ Hamburganæ rector. Vbi iam consedissent omnes, Vuestphalus causam conuentus exponit eam esse, ut cum illis de cõtrouersis quibusdam religionis capitibus agatur: non quòd ipsi de sua doctrina quicquam dubitarent, ut quæ in omnibus

bus Ecclesijs & Academijs Saxonicis summo consensu traderetur, adeoq; etiam decretis Senatus Hamburgani & illustrissimi Danię regis aduersus Sacramentarios latis sancita esset: sed ut ipsos in eandem secum sententiam adducerent. Deinde, colloquij initium ab illis Christi uerbis, Caro non prodest quicquam, facere uoluit. Cæterùm, quando contrà quàm Vuestphalus promiserat, nullos adesse ciues, & pastores aliquot desiderari uideret Microni9, de scripto quodam, quod in hunc euentum parauerat, præfari uoluit: unde colloquij factũ est initium. Scriptum autem ita habebat:

Colloquium alterum inter M. Micronium & Ioachimum Vuestphalum Hamburgæ habitum, anno 1554, Martij 4.

MICR. Prius quàm aliquid loqui aut dicere incipiam, fratres & Domini mei obseruandissimi, Ecclesiæ huius inclitæ ciuitatis Hamburganę ministri, pauca præfari cogor, ne quis hanc meam hominis peregrini libertatem & parrhesiam aliter quàm oportet accipiat & interpretetur.

Ante omnia itaq; Deum testor, me in uniuerso hoc negocio aliud non quærere, quàm ipsius gloriam, Ecclesiæ Christi ædificationem, ac meam proximorumq; salutem. Ad uos præterea non mea sponte ac temerè, sed uocatus ueni, & facultate prius à

iudice

iudice ciuitatis huius ordinario obtenta, à cuius famulo ad Ioachimũ Vueſtphalum deductus ſum: quanquam nõ deerant aliæ iuſtæ rationes, ut mea ſponte colloquium cum ueſtris humanitatibus poſtularẽ. Siquidem nos, qui ex Anglia ob puritatem Euangelij profecti ſumus, in ueſtris Eccleſijs quotidie grauiter accuſamur, deploratis hæreticis & ſeditioſis uiris annumeramur, ac cõmiſcemur. Cumq́; me Dominus pro ſua bonitate Eccleſię Belgicę quę Londini fuit, miniſtrum eſſe uoluerit, officij mei ratio poſtulat, ut apud uos, aut noſtrá innocentiá autoritate uerbi diuini approbem, aut ſaltem meliora à uobis diſcá. Non enim huc ueni, ut ueſtram Eccleſiá aut turbem, aut damnem, ſed ut meam pro meo officio defendam: non fiducia ullius eruditionis aut eloquentiæ, ſed noſtræ (ut in Domino ſpero) innocentiæ. Sum itaq; paratus audire, in quo Eccleſiæ noſtræ Londinẽſis doctrinam aut ritus Eccleſiaſticos, autoritate Scripturæ, dánare poſsitis, quo nomine digni ſimus tam prophanis hominibus annumerari. Poſtremò nonnullæ ſunt rationes iuſtæ, quæ me cogunt, ut à uobis non priuatum, ſed publicum colloquium, in præſentia omnium paſtorũ, magiſtratus & aliquot ciuium, habere poſtulem. Siquidem in omnibus ueſtris Eccle-

ſijs

ſijs damnamur. Et ſi quis omnino miniſtrorum uerbi omitteretur, ille forſan poſtea dicat, ſe aliquid aduerſum nos proferre potuiſſe: quemadmodum mihi Vuiſmariæ accidit. Neq; iniqua mihi uidetur poſtulatio, ut Magiſtratus, aut aliquot ipſius nomine deputati, noſtro interſint colloquio, cum apud magiſtratum accuſemur: cuius officium eſt, iuxta ius gentium & diuinum, accuſatos in accuſatorum præſentia audire: quemadmodum acta Apoſtolica abunde teſtantur, gentilem Magiſtratum noluiſſe Paulum apoſtolum, niſi in pręſentia ſuorum accuſatorum damnare, aut ullã omnino ſententiam contra illum ferre. Ciuium autem præſentiam, pręſertim eorum qui ueritatis ſtudio tenentur, non refugimus: imò ſi fieri poteſt, omnino expetim⁹, utpote cũ apud eos quotidie accuſemur. Nos lucem nõ refugimus: clanculàrius nõ ſum prædicator, ſed in apertum uenio: uel ut noſtram Eccleſiæq; noſtræ innocentiã pro mea facultate tuear: aut ſi tueri non poſſim, autoritate uerbi diuini meliora à uobis diſcam. Huius præfationis meæ iudicium V. omnium pietati lubẽs ſubijcio, & clemens reſponſum poſtulo. Act. 25. c 16.

VVEST. Hoc tuum ſcriptum & conditiones iſtas tuas non moramur, nec præſtare uolumus. Nulla etiam earum conditionũ

heri

heri facta fuit mentio. Pastorum, quorum postulasti præsentiam, iam bonam partem adesse uides. De ciuibus uerbum erat nullum. Proinde istis omissis, ad propositá ueniamus quæstionem.

MICR. Nihil mihi esset gratius, quàm ré ipsam aggredi: sed uideor mihi graues habere causas, cõditiões eiusmodi mihi à Vuestphalo heri promissas, rursus exigédi. quas si docere potestis iniquas esse, ijs lubens cedam: quandoquidem eas uestro subieci iudicio.

VVEST. Si has tibi conditiones permittamus, uidebimur de nostra doctrina dubitare: quam tamen uerissimá esse credimus. Ea est multis iam annis magna cum pace Ecclesijs nostris tradita, & in Academijs excusa & approbata. ac nemo Vuitebergæ ad gradus ullos promouetur, qui non prius iuramento hanc nostram doctrinam approbet. Et siquidem dubia adhuc esset nostra doctrina, grauiter peccasset Senatus noster, & Serenis. Daniæ Rex, qui aduersum uos decreta tulerunt.

MICR. Similibus argumétis facilè uos omnes uicerit Papa. Et si quidem ita in religionis causa raciocinari licet, nulla unquá doctrina certa erit: siquidem quam schola una recipit, & Magistratus tuetur, eandem aliæ rursum Scholæ condemnant, & alius

Magi-

Magiſtratus perſequitur. Verùm in Eccleſia Dei probatio doctrinæ, iuxta uerbũ Dei debet perpetuò manere libera, iuxta illud Apoſtoli: Cęteri dijudicent. Et rurſum: Spiritus nolite extinguere, Prophetias nolite aſpernari. Poſtremò: Spiritus prophetarũ (inquit) Prophetis ſubiecti ſint.

1. Cor. 14.
1. Theſſ. 5.
1. Cor. 14.

VVEST. Ha ha ha, Propheta. Tu ne propheta es? ô ſalue Propheta [hęc dicens, ſimul caput cachinnans utraq; manu aperiebat.]

MICR. Quid me præter omne æquũ tuis ſarcaſmis laceſsis Vueſtphale? Propheta ſum eo ſignificatu, quo ibi apud Apoſtolũ prophetæ nomẽ accipitur: ad quem modũ ego etiam uos, adeoq; omnes uerbi Diuini interpretes pro Prophetis habeo.

VVEST. Sub huius Prophetiæ prætextu uis perpetuas ali in Eccleſia de doctrina dubitationes?

MICR. Imò uolumus potius, per legitimum eius uſum, omnes dubitationes tollere, & omnem tyrannidem ab Eccleſia pellere. Veritas enim per Prophetiæ uſum legitimum magis illuſtratur, confirmaturq;, mendacium autem proditur. nam ut aurũ igne expurgatur, non perditur: ſic doctrinę ueritas non dubia, ſed certa magis ac perſpicua, uſu prophetiæ, redditur.

De uſu Prophetiæ in Eccleſia uide Lutherũ in libro de inſtituẽdis Eccleſiæ miniſtris, quẽ ad Bohemos ſcripſit.

COLLEGA VVEST. Nobis noſtrarum Ec-

clesiarum

clesiarum habenda est ratio, ne earum pax & tranquillitas istiusmodi colloquijs perturbetur.

MICR. Et nobis salus nostrarum Ecclesiarum, quas quotidie condemnatis, curæ esse debet: ne nostro silentio culpam hæreseos ac seditionis, quam impingitis, uideamur agnoscere. Postq̃ uerò nulla adhuc à uobis iusta allata est causa, cur meas, quas postulo, colloquij conditiones dãnare possitis, precor præstare eas non grauemini.

De libris conscribendis.

VVEST. Si ad hunc modũ uis in publicũ prodire, tuamque doctrinam ad Ecclesiæ tuę purgationem palàm approbare, libros conscribe, qui in multorum manus uenire possunt.

MICR. Hic, ubi per uos publicè accusamur, nos sub proborum hominũ testimonio audiri ęquum est. Et libri nõ semper ad eorum perueniunt manus, à quibus eos legi maximè oportebat. fieriq́; potest, ut Magistratus, qui nos profligat, nostros libros nunquam legerit: sed uestris cõtentus pręiudicijs & sentẽtijs, in nos sæuiat. Imò uos uestris hominibus lectione nostrorum librorũ interdicitis. Quid igitur libris apud uos proficitur?

VVEST. Ita'ne tyrannidis accusas Magistratum, quasi is incognita damnet et persequatur? uide quid dicas.

MICR. Id ita fieri posse dixit, atq; utinam non fieret.

VVEST. Si uis tuam doctrinam, ubi publicè damnatur, etiam publicè tueri, redito in Angliam, aut alia Papismi loca, ubi etiã publicè hæreseos condemnatur.

MICR. Papistici doctores sunt lupi facti, qui sua dogmata nõ stylo scripturæ, ut par erat, sed sceptro duntaxat Magistratus, tyrannicè tuentur. à talibus tyrannis cauendũ esse, nos monuit Christus. At de uobis Euangelicis concionatoribus aliud mihi hactenus persuasi, quòd uidelicet in cõtrouersia religionis non tyrãnicè solo sceptro Magistratus, sed Christianè stylo scripturæ agere uelletis.

VVEST. Omissis illis tuis, quas urges, cõditionibus Martine, rem ipsam, priusquam tẽpus elabatur, aggrediamur. Adsunt enim concionatores multi, qui istius nostri colloquij fidi testes mecum esse poterunt. Id si facere tergiuersaris, indicio est, te tibi malè conscium, lucem refugere.

MICR. Si tenebras amarem, nollem tam publicè causam nostram agere. Imò si uobis de uestra doctrina bene essetis conscij, ipsi ad maiorem causæ uestræ apud omnes commendationem, uestra sponte aliquot extra Ecclesiasticum ministerium constitutos homines aduocaretis, colloquij testes.

Ita etiam liceret uobis de me esse securis, quòd de colloquio nō aliud quàm accidisset, spargere ausurus essem.

VVEST. De nostra fide non est quod dubites. Quid uerò tu de actis colloquij facturus aut dicturus sis, non moramur.

MICRON. Scitis acta colloquiorum facile peruerti: nec ignoro, quàm apud omnes leue ac suspectū habeatur unius hominis, aut pauciorum aduersum uos omnes testimonium. Vellem propterea mihi meas cōditiones permitteretis, ad maiorem utriusque partis securitatem: præsertim cum nos quotidie per uos grauiter apud omnes accusemur.

VVEST. Quid nebulo iste cogitat? & frustra cum ipso tēpus terimus? Indignus est, quicum agatur. Hæc si præscissem, non cōuenissemus. abeat hinc nebulo.

MICR. Si promissis stetisses Vuestphale, hæc non mouerem. Et tua hæc conuicia lubens propter Christum fero. Sed me tui pœnitet, quòd in hac causa adeò seria, tam impotenter agis.

VVEST. Sum natura paululum feruentior: attamen cum uolo, tam modestè agere possum, & submisse, atq; tu.

MICR. Agamus igitur placidè, absq; clamoribus. Expendite obsecro Domini mei, quàm dura sit nostra conditio. Nos à uobis

quotidie

quotidie condemnamur publicè, nec tamē ad nos expurgādos sub testimonio proborum aliquot hominum admitti possumus.

VVEST. In tui'ne gratiam istiusmodi colloquium institueremus? Minor es & ætate & eruditione, quàm ut hoc in tui gratiam fiat. abito potius in Scholas, ut adhuc annū unum atq; alterum studeas: ac tum ad nos disputaturus reuertere. *Annorum tū erat Micronius 31.*

MICR. Non hic de ætate est cōtrouersia. Tenuitatem meā lubens agnosco: nec eruditionis ullius, sed bonæ duntaxat causæ nostræ fiducia eiusmodi postulo colloquia. Placet etiam, ut post studium biennale reuertar: siquidē fidē mihi iam detis, uos tum meas, quas ex scripto proposui cōditiones, sine fraude ulla præstituros esse.

VVEST. Non est hoc in nobis, sed duntaxat in Magistratu situ̅. Verùm quid tu Dauid Simpson de re sacramentaria sentis?

DAVID SIMP. Id ipsum quod in Anglia sub Eduardo Rege est traditum, & Martinus iam hic profitetur.

VVEST. Quid tu sartor de dogmatis tuis iudicare? præstitisset te in peltaria tua officina mansisse, quàm Ecclesiæ ministerium in Anglia suscepisse. Cur tu, peltarius cum esses, uocationē mutasti, cum in sua quisque uocatione manere debeat?

MICR. Ne tuis scommatis homini mole-

ſtus ſis, Vueſtphale. Quòd enim relicto Papiſtico ſacerdotio artem manuariam didicit, non eſt ei probro, ſed laudi potius uertendum. Ego in manuario opere nihil uideo probri. An non etiam Paulus id quandoque exercuit? Me ſanè, ſi eò per tyrannidem adigerer, nõ puderet pro meis uiribus manuariam aliquam artem addiſcere.

VVEST. Siccine tyrannidis nos accuſas? Suboleo quò ſpectes. nec me fugit, quòd nõ ita nuper tyrannidis me accuſaris. Non ego, ſed tu potius tyrannus ac ſatan quiſpiam es, dum pacatas noſtras Eccleſias ſic perturbas. Gladi⁹ in iſtos nebulones ſtringendus eſſet.

MICR. Agnoſco me non ita nuper dixiſſe, tyrannidis eſſe, obiectiones è Scripturis petitas, nõ ſtylo Scripturę, ſed ſceptro Magiſtratus refutare uelle.

De uerbis Cœnæ.

VVEST. Doctrinam noſtram ſacramentariam, quá Magiſtratus pro muneris ſui debito, ſceptro ſuo tuetur, eam nos Scripturę teſtimonijs approbamus. Habemus enim clarum illud Chriſti uerbum, Hoc eſt corpus meum. Quę uerba, quia uos totos proſternunt, ita oditis, ut ueſtrûm nonnulli ea è ſcripturis expuncta uellent. nec deſunt, q in actione Cœnæ ea detruncant.

MICR. Non odimus ea uerba, per quę primarium Cœnæ Dominicę myſterium in il-

lius uſu fide contemplandum uiuidiſsimè proponitur. Nec exiſtimo quenquam tam eſſe impudenté, qui uerba illa eraſa cupiat, aut in uſu Cœnæ callidè truncet: niſi mihi illius autoris nomen ac librum indicetis.

VVEST. Quàm uarias ueſtri ſuper illis Cœnæ uerbis interpretationes fingunt?

MICR. Non neſcis Vueſtphale, unum aliquem Scripturæ locum, uarijs uerbis, ſententia tamen conſentientes interpretationes admittere poſſe: nec protinus diuerſæ unius loci interpretationes pugnanté ſenſum reddunt.

VVEST. Sed ueſtri falſas adferũt interpretationes.

MICR. Ego nullas hacten⁹ apud noſtros reperire potui, quæ analogiæ fidei repugnent: quemadmodum ueſtra illorum uerborũ interpretatio ex diametro repugnat. Tollit enim corporis Chriſti ueritatem.

VVEST. Non licet de corpore Chriſti phyſicè diſputare. *De corpore Chriſti.*

MICR. Scriptura non niſi unicum Chriſti corpus, illudq; phyſicum & organicũ, ſuis uidelicet membris etiam poſt reſurrectionem diſtinctum, agnoſcit.

VVEST. Catholica Chriſti Eccleſia noſtram doctrinã ab Apoſtolorum uſque temporibus ſemper agnouit, quam Patres omnes confirmarunt. Veſtra autem doctrina *De uetuſtate doctrinæ Sacramentariæ.*

nupera est, per Berengarium primùm excitata, deinde per Zwingliũ nostro seculo renouata, contra quam in comitijs Augustanis pronunciatum est.

MICR. Nostram doctrinam contrà dicimus esse ueterem, Apostolicis scriptis per omnia consentientem, atq; à Patribus omnibus, clarissimè aũt ab Augustino traditã. Ea primùm circa Caroli magni tempora, per doctrinã carnalis cuiusdam præsentiæ corporis Christi in pane obscurari cœpit. Cui imaginationi se postea opposuerunt Bertramus ac Berẽgarius. Deinde posterioribus seculis uera doctrina de Cœna Domini planè defœdata est per idololatricã trãssubstantiationem. Nec consequitur, nostram doctrinã Ecclesię Dei propterea fuisse incognitam, quòd à Papistis fuerit ignorata. Alioqui & ipse articulus iustificationis fidei hactenus Ecclesię incognitus fuisse dicetur, qui etiamnum in Papistica Ecclesia ignoratur. Nec uideo uos iustam habere causam tantopere gloriandi de Augustanis comitijs, cum ea in eum finem instituta non sint, ut ibi audita prius utraq; parte certi aliquid de re sacramentaria statueretur: sed fuit tantũ nuda fidei confesio, quę nullo modo concilij legitimè cõgregati autoritatẽ obtinere potest. Et si quidem concilia omnia iure adhuc subiacẽt Scriptura-

Comitia Augustana quare instituta.

rum

rum autoritati, quanto magis cõfeſsio Auguſtana? quanquam adhuc neſciam, quatenus ea doctrinæ noſtræ aduerſetur, & ueſtram iuuet. Certiſsima tamen ueræ doctrinæ regula eſt, Scriptura ſacra: cui noſtram doctrinam, diuino beneficio pulchrè conſentiẽtem eſſe docebimus, ſi colloquium, iuxta propoſitas cõditiones, impetremus.

VVEST. Eiuſmodi colloquium non poteſt niſi per Senatus autoritatem inſtitui.

MICR. Efficite apud eum, ut uelit.

COLLEGA VVEST. Permittant id uobis prius Lubecani & Vuiſmariẽſes: tum quid facto opus ſiet, diſpiciemus.

MICR. Video nullam mihi omnino ſpem eſſe colloquij à uobis impetrãdi. Hamburgani expectant Lubecanos, hi uerò uos. Vuiſmarienſes autem expectant Lubecanos, ac Hamburganos. Nec ulla ciuitas hic aliam præire audebit, eo quòd uos Senatũ ad id pro ueſtro officio non extimuletis: quin potius tale aliquid molientem impediatis. Interim patitur iuſtus. At ſi uobis de ueſtra doctrina bene eſſetis conſcij, ipſi ueſtra ſponte apud Senatum pro tali impetrãdo nobiſcũ colloquio laboraretis, ad approbandam ueſtram innocentiam, & in doctrina fidem.

VVEST. Quid cum hoc homine pluribus agimus? Valeat nebulo. Aliud nobiſcũ de-

inceps aduersus istos Ecclesiæ perturbatores quærendum est consilium.

MICR. Non uestram Ecclesiam turbare, sed meam, quam quotidie accusatis, legiti mè pro debito officij mei expurgare studeo: aut si id nequeã, culpam agnoscere & deprecari paratus sum, ac corrigere. Quoniam uerò omnem instituẽdi colloquij potestatem in Senatum reijcitis, nec uestram mihi operam in hac re præstare uultis, unũ mihi saltem detis diem, quo ipse apud Senatum pro istiusmodi colloquij conditionibus impetrandis laborem. Quas si negabit, paratus tum ero, iuxta quascunq; uultis conditiones uobiscum colloqui.

VVEST. Senatus publico suo decreto Sacramentarijs omnibus ciuitate sua interdixit, aduersus cuius decretum nos nullã uobis hic manẽdi libertatẽ facere possumus: imò nullum deinceps colloquium tecum habere uolumus. Apage hinc cũ tuis foràs.

MICR. Quandoquidem nihil eorum quę proposui impetrare possum, sed cõtẽptim reijcior: uolo causam nostram cõmendare Deo. Interim priusq̃ discedo, te mi Vuestphale monitũ, ac per Christũ rogatũ uelim, ut quæ deinceps uel scripto uel sermone docturus es, ea omnia Christianè, stylo scripturæ, & uerbi diuini autoritate, nõ tyrannicè sceptro Magistrat⁹ approbare studeas.

Admonetur Vuestphalus tyrannidis.

Quid

VVEST. Quid tu ais? ſiccine me tyrannidis inſimulare audes? An non mea omnia ſcripturis approbo? Non ſum ego tyrann⁹, ſed tu potius, qui noſtram conturbas Eccleſiam.

MICR. Quid ita ſimul omnes aduerſum me tumultuamini? Non ſum Eccleſiæ ueſtræ perturbator, qui Eccleſiá, fidei noſtræ concreditam, à calumnijs iuſto ordine expurgare quæro: paratus interim, ſi erroris cõuincar, meliora diſcere. Mihi mea Eccleſia nõ minus chara eſt, quàm uobis ueſtra. Neq; temerè Vueſtphalũ ſic admoneo. Ipſe enim paulo antè de gladio in nos ſtringendo locutus eſt.

VVEST. Id de ſpirituali intellexi gladio.

MICR. Sed tu in libello tuo de re Sacramentaria, obiectionibus noſtrorũ non ſcripturas, ſed magiſtratus ſceptrum opponis.

VVEST. Vbi hoc à me factũ eſt? Quid hic aduerſum me comminiſcitur nebulo?

MICR. Ne quis ueſtrûm me Vueſtphalo mendacium impingere cogitet: en eius libellum, ad cuius calcem ad hunc modum ſcribit: Ex eodem promptuario mali cordis erumpũt iſta: Corpus Chriſti hęret, aut non hæret. Si hæret, quorſum attinet ſæpe repetere cœnam? Si non, quorſum euaneſcit? Tam execrandæ blaſphemiæ & ſimiles, merentur potius ſceptro magiſtratus,

quàm ſtylo refutari. An non manifeſta ſunt hæc Vueſtphali uerba?

VVEST. Multas blaſphemias libello ſuo immiſcuit Ioãnes à Laſco, quas omnes ſemel gladio Dei conficiam.

MICR. Doce, ea quæ ſcribit Laſcus eſſe blaſphemias, & ad ſingula eius argumenta ordine, ſi potes, è ſcripturis reſponde: priuſquã ad Magiſtratus ſceptrum confugias.

MATTHAEVS rector ſcholæ Hamburgẽſis. Curte Martine tam præbes difficilem, in amplexanda Eccleſiæ noſtræ doctrina: quã tamen uetuſtiſsimi quiq; patres agnouerunt? En hìc eſt uetuſtiſsimus ſcriptor, qui docet Chriſtum corporaliter in nobis habitare: quod non niſi per corporis ipſius in Cœna manducationem fieri poteſt.

2. Cor. 5. MICR. Chriſtus, iuxta doctrinam Pauli, fide in nobis habitat, non igitur corporaliter, quia Paulus aliâs ipſam ſpeciem ſeu rẽ fidei opponit. Dici tamen poteſt, Chriſtum corporaliter in nobis habitare ratione ſuæ incarnationis, quando ipſi per communionem ſpiritus ſui iungimur. Verùm ſi exiſtimas Chriſtũ ideo corporaliter in nobis habitare, quòd in Cœna Dominica eius corpus realiter ſub pane edatur: iam tibi cum ipſo Vueſtphalo, qui id negat, diſputandum erit.

MATHAE. Cum Vueſtphalo ais? quid ita? Quid

VVEST. Quid hic rursum aduersum me comminisceris?

MICR. Nihil fingo. Doces enim in prædicto tuo libro, Corpus Christi tantisper esse in pane Cœnæ, dum sensus afficitur. Sed sensus non afficitur nisi in ore, uel ad summũ in gutture: quomodo igitur per usum Cœnæ Christus corporaliter esse in nobis, uel habitare potest?

VVEST. Detorques mea uerba in alium sensum.

MICR. Audiant igitur omnes uerba tua, ac iudicent. Ea uerò sic habent: Quamdiu sensus corporaliter afficitur, pręsentia eius corporalis non aufertur. postquam autem sensus corporaliter in percipiendo deficit, deinceps corporalis præsentia quærenda non est. Hęc est Vuestphali doctrina, quá etiam non è Scripturis, sed Papistarum libris emendicauit: hoc ipso satis indicans, se in sua causa sacramẽtaria scripturis destitutũ, ad Papistarum confugere patrociniũ.

COLLEGA VVEST. Vos nunquam in Anglia catechismum docuistis, sed toti in hoc uno fuistis, ut uestram doctrinam Sacramẽtariam plebi inculcaretis.

MICR. Catechismum diligentissimè tradidimus, & de re sacramentaria non nisi cũ res ipsa postularet tractauimus.

VVEST. Vos prætereanegatis baptismo peccata

peccata remitti, & Christianorum infantes ante Baptismum saluos esse pronunciatis.

Rom. 4. MICR. Est Pauli apostoli doctrina, Abrahamum ante circumcisionẽ in præputio iustificatum fuisse. ex qua temporis circumstantia colligit Apostolus, iusticiam imputari nobis ex gratuito beneficio, non uirtute sacramentorũ, quæ uocat iusticiæ illius fidei signacula.

VVEST. Quid frustra cum hoc homine tempus terimus? Abeat.

MICR. Vos quotidie grauissimis hæreseon, seditionum, & aliorum criminum suspicionibus nos apud ciues grauare nõ cessatis: nec uultis tamen ullam nostri legitimam purgationem admittere: quin nos id amicè postulantes, cum multis scõmatis & conuicijs reijcitis. Non sic uobiscum in Anglia egissemus. Deumq; precamur, ut si olim uos exulare quandoq; cõtingat, alios clementiores uobis, q̃ nobis estis, inueniere possitis. Speramus interim, quòd Deus causæ nostræ iustissimæ suscepturus sit patrocinium.

VVEST. Abi du Martlerken.

FINIS COLLOQVII.

¶ Nostris porrò ad publicũ suum diuersorium abeuntibus, & singula quæ gesta erant, dictaq; inter sese repetentibus, incidit interim cogitatio, Vuestphalũ ad noscẽ-
dum

dum ipſorum diuerſorium clam ſuum puerum ſubmittere poſſe, quòd ſic re ad Magiſtratum delata, protinus ciuitate pellerentur. Conſilium itaq; ipſorum fuit, præterito diuerſorio prius foràs extra mœnia expaciatum prodire. Ibi tandem Vueſtphali famulũ ipſos inſectantẽ obſeruant: eumq;, quid ita ipſos inſectaretur, rogant. Cupio (inquit) ueſtrum noſſe diuerſorium. Sed ipſi conſilium Vueſtphali non ignorantes, nullam huius ſuſpicionis puero dant ſignificationem. ac ſub ueſperam, poſtquam per tres ferè horas eos fuerat inſectatus, illius conſpectum tandem elapſi, in ſuum diuerſorium reuertuntur. Poſtera die anxiè ſollicitus fuit Micronius, quid ſibi hic agendum eſſet. Implorato itaq; diuino auxilio, & communicato cum fratribus conſilio, uiſum eſt ipſis operæprecium, Magiſtratus auxilium ad expurgandam noſtram Eccleſiam implorare. Pomeridiano itaq; tempore accedit Micronius proconſulem nomine Georgium, cui paucis exponit, quis ſit, & quid cum paſtoribus egiſſet: per Chriſtũ obteſtans illum, ut ad impetrandum colloquium ſuo ipſum cõſilio iuuare dignetur. Ille autem reſpondet, decretum fuiſſe, ut ſummo mane ciuitate exirent: ſe proinde mirari, ipſos adhuc in ciuitate hærere. Audire ſe etiam, multa inter ipſos falſa foueri

dogmata:

dogmata: doctrinam Ecclesiæ Catholicæ ab ipsis reijci, sacramenta Baptismi & Cœnæ Dominicę ipsis pro nihilo duci. & ex secta eos esse Monasteriensium, qui seditiones aduersus Magistratum molirētur. Cui malo senatus in tempore occurrere uellet. Micronius uerò respondet, nihil ipsis de relinquēda ciuitate mandatū esse, ipsosq; ab omnib. illis falsæ doctrinæ ac seditionū criminib. esse liberrimos: per Christū rogās, ut cum tam uaria ibi hominū de ipsis esset sententia, liceat fidei suæ cōfessionē in scriptū redactam Senatui offerre, ut is semel, quales'nam sint, certò cognoscat. Assensus est Proconsul, iubetq; supplicationem illā in proximum diem parari. eamq; ad se referri: quam ipse Senatui, ipsorum nomine, tradere uellet. Actis itaq; ei pro hac humanitate & æquitate gratijs, in diuersorium suum reuersus Micronius, opera Godfredi Vuingij adiutus, in describenda supplicatione ipsa media nocte laborat: quā Senatui proxima die offerunt hisce uerbis scriptam.

Aequißimis prudentißimisq; Consulibus ac Senatoribus inclytæ ciuitatis Hamburgensis,
Dominis meis clementiß.

¶ Quòd ego homo peregrinus, Domini Clementiss. ad uos Dominos meos obseruandissimos, fidei meæ confessionem editurus, supplex ueniā, propter Christū Dominum

minum precor, ut id bene accipere, & me benignè pro ueſtra humanitate audire dignemini: præſertim cum hoc non temerè, ſed facultate prius à prudentiſsimo ac uenerabili Proconſule mihi conceſſa, faciam, & ad id quoq; pro uocationis meæ officio cogar. Etenim cum Eccleſia Germanica, quæ à pientiſsimo Rege Eduardo (piæ memoriæ) Londini pridem inſtituta fuit, in qua me Deus pro uoluntate ſua bona miniſtrum eſſe uoluit, ita ſubinde in publicis ueſtræ ciuitatis concionibus grauetur: & inde multi temerè grauiſsima quæq; de nobis ſuſpicentur & effutiant: pro miniſterij mei fide cogor meam, Eccleſiæq; noſtræ fidem ad noſtri purgationem in medium iudicandam proferre: præſertim apud Chriſtianum, & proinde æquum Magiſtratum: qui alteram partem non modò audire paratus eſt, ſed etiã pro officio ſuo poſtulat. Fidei ergo noſtræ ratio (ut paucis & ſimpliciter dicamus) eſt hæc.

Amplectimur reuerenter, & firmiter credimus uniuerſæ ſcripturæ Biblicæ ueteris ac noui Teſtamenti: unde, per mutuam illius collationem omnis doctrinæ, quæ in Eccleſia traditur, ueritas unicè eſt petenda: non à regnorum decretis, aut hominũ placitis. Huius porrò ſcripturæ Biblicæ ſcopum ac finem eſſe agnoſcimus IESVM Chriſtum, *De Scriptura ſacra.*

De Iesu Christo. ſtũ, qui eſt uerus ab æterno, ex Deo patre Deus, & uerus item in plenitudine temporis ex uirgine Maria factus homo, citra ullum tamen peccati contagium. cuius humana natura noſtræ per omnia, iuxta doctrinam Pauli, eſt conſimilis. Neque enim propter unionem diuinitatis & humanitatis in Chriſto, Diuinitas arctatur per humanitatem, aut humanitas per omnia diffunditur propter Diuinitatem: ſed utraque natura in una perſona Chriſti ſuas ſeruat proprietates, quę nulla ratione uiolari aut confundi debet. Agnoſcimus præterea hunc IESVM Chriſtum eſſe ſummum ac unicum noſtrum Regem, Doctorem & Pontificẽ, cuius ſolius ſceptro Eccleſia regi, doctrina paſci, & ſacrificio mũdari expiariq́; poteſt

Act. 4. & debet. Non enim in ullo alio ſalus eſt.

Cæterùm ut hoc unicũ ſalutis medium in CHRISTO IESV pro nobis ſemel in morté oblato, perpetuò in Eccleſia agnoſceretur, ipſe non modò Euangelij prædicationem in ea inſtituit: ſed illi etiam ob noſtrã imbecillitatem ſacra appendit ſigilla, quæ

Sacramenta. ſacramenta uocamus: Baptiſmum uidelicet, & Cœnam Dominicam: quibus ſacramentis duobus id omne tribuimus, quod per unanimem Scripturę conſenſum, citra ullam illius repugnantiam, & iuxta fidei analogiam tribui omnino poteſt.

Baptiſmum

Baptismum autem agnoscimus esse obsi gnaculum Diuinæ gratiæ erga eos omnes, qui testimonio Euangelij communionem habent cũ Deo Patre & Filio & Spiritu sancto: per quẽ etiã in omni uita nostra mortificationis carnis nostræ & renouationis uitæ admonemur: qui nullis humanis superstitionibus ad eius mysterij obscurationẽ contaminari debet. Pædobaptismum autem fatemur in Ecclesia habere locum: sed ei⁹ interim præposterã fiduciã improbam⁹. *Baptismus.*

Sacram Domini Cœnam non nudum ac uulgare signũ esse dicimus, sed nouum testamentum in corpore Christi pro nobis tradito, & sanguine eius pro peccatis nostris effuso: seu cõmunionem corporis & sanguinis Christi, ut apostolus Paulus interpretatur. Non enim uentris cibus in Ecclesia nobis proponitur, sed animæ, qui est CHRISTVS IESVS, unicus animarum nostrarum ad æternam salutẽ, per salutarem corporis oblationẽ factus cibus: quo tam certo ad salutem æternam per fidem pascimur, quam in Cœna Dominica in memoriam mortis ipsius panem fractum edimus, & poculum Dominicũ bibimus. Hoc tam eximiũ, omnemq; humani ingenij captum excedens, & sola fide cõprehensibile sacræ Cœnæ mysterium, quo nobis contra omnes Sathanæ artes commendaretur, Chri- *De Cœna Domini.*

ſtus panem fractum diſtribuens dixit: Accipite, edite, hoc eſt corpus meũ, quod pro uobis datur, frangitur. Et de poculo item: Hoc nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Ad quorum uerborum explicationem pertinẽt illa uerba Pauli: Quotieſcunque comederitis panẽ hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciatis donec uenerit. Item illa: Panis quem frangimus, an non cõmunio corporis Chriſti eſt? Quibus omnibus uerbis ſi deſtitueremur, hoc tantum Cœnæ Dominicæ myſterium ignoraretur. in quo tamen ſumma afflictarum conſcientiarũ recreatio, & conſolatio eſt poſita. Atque inde uariæ ad uitæ pietatem pertinẽtes deduci poſſunt exhortationes. Porrò modum ac ritum adminiſtrandæ Cœnæ illum maximè approbamus, qui hoc myſteriũ reddit illuſtrius, & propius ad mandatum Chriſti & apoſtolorum exemplum accedit.

De Magiſtratu. Porrò Magiſtratum agnoſcimus eſſe Dei ordinationem, & uocationem ſanctam, in qua Chriſtiano fas eſt uerſari: duntaxat ut in ea uocatione ſe Dei miniſtrum, non Dominum eſſe meminerit. Debet autẽ Chriſtianus quiuis Magiſtratui etiã improbo, tantiſper dum contra pietatem nihil mandat, per omnia parêre, ad exemplum Chriſti & Apoſtolorum. ac proinde eos damnamus

mus omnes, qui Magistratum suo fraudāt debito, aut seditiones contra illum mouere ullo modo cogitant.

Hæc est mea, Ecclesiæq́; nostrę quę Londini fuit, fides & confessio, quam Scripturis per omnia consentientem esse confidimus. ac proinde etiam nos ab omni hæreseos & seditionis culpa, in iudicio Dei & piorum omnium, liberos stare non dubitamus. Si tamen D. V. pietas in nobis aliud quid requirit, aut iudicat hanc nostrā fidem, quam iudicio uestræ pietatis subijcimus, à doctrina Prophetica & Apostolica dissentire, quàm possumus humillimè, atque summa cum obseruantia D. V. clementissimas, propter Christum Dominum rogamus, ut nobis, licet peregrinis, ac proinde iudicio mundi contemptis, permittere uestra autoritate dignemini liberum atq; Christianum colloquium cum D. V. ciuitatis cōcionatoribus: idq́; iuxta cōditiones, quas ipsis ante biduum ex scripto proposui: † quod nunc huic meæ supplicationi, † Supr. fol. 203.
quo eas D. V. agnoscerent, adiunxi. Et si cōcionatores ciuitatis D. V. nostram Londinensem ecclesiam de ullo errore, uerbi diuini autoritate cōuincere poterunt, libentissimè, etiam cum mei pudefactione, ad gloriam CHRISTI, cedam. Absit enim à me procul omnis contra ueritatem Propheti-

cam & Apoſtolicā pertinacia. Quàm hæc mea poſtulatio ſit æqua, ſancta, & Eccleſiæ Dei utilis, nō dubito ueſtras D. id facile pro pietate & prudentia ueſtra agnoſcere, atq; cenſeo Eccleſiarum miniſtros ipſos hac in parte mihi auxilio apud D. V. meritò eſſe debere. Siquidē apoſtol⁹ Paulus de officio miniſtri Eccleſiæ ad Timotheum ſcribens docet, quòd Dei ſeruum oportet placidum eſſe erga omnes, propenſum ad docēdum, tolerantem malos cum manſuetudine, erudientem eos qui obſiſtant. Ad hunc modū Apoſtolos in religionis controuerſijs egiſſe, Scriptura teſtatur. Vtq; hæc ſancta & neceſſaria ratio, doctrinæ diſsidia componēdi perpetua eſſet in Eccleſia, diuus Apoſtolus præcipit hiſce uerbis: Prophetę duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent. item: Spiritus Prophetarū Prophetis ſubijciuntur. Et rurſum: Prophetas ne aſpernemini. Quod ſpiritus S. conſilium in diſſidijs religionis componendis neglexiſſe, ut Eccleſię pernicioſum eſt, ita idipſum ſequi tutiſsimum atq; utiliſsimum erit. Ac ſpero in Domino, Eccleſiarum ueſtrarum ciuitatis miniſtros id ſequi uelle. Quod etiam Dei cōſilium ſi ſemper in Eccleſia Romana obtinuiſſet, non tam craſſæ errorum tenebræ mundum occupaſſent, neq; tantū innoxij ſanguinis piorum in ea hactenus

effuſum

effusum esset. Vos itaq; iterũ Domini mei Clementiss. per CHRISTVM Dominũ supplex rogo, ut mihi cum reuerendis ciuitatis D. V. concionatoribus liberum, sub aliquot proborum uirorum testimonio, concedatis colloquiũ, ad Ecclesiæ Londinensis purgationem: Siquidem uestras Ecclesias neq; turbare, neq; dãnare institui. Aut si D. V. iam non sit cõmodum, & in aliquot mẽses colloquium hoc differre uoluerint, paratus etiam ero tum per Dei gratiam accedere, ut nostram Ecclesiam aut pro mea facultate defendam: aut si id uerbi diuini autoritate nõ possum, meliora ab ipsis edoctus sequar, ad meam proximorumq; meorum salutem. Porrò si hęc nulla omnino ratione, uestra autoritate obtinere queam (quod sanè nolim) tum id saltẽ impetrẽ, per CHRISTVM D. V. supplicet rogo, ne deinceps prædictis Ecclesiarum uestrarũ ministris liberum sit, nostræ Ecclesiæ Londinẽnsis doctrinam ita publicè damnare ac proscindere. Atq; hic à D. V. clemens, benignum, & Christianum responsum in Christi nõmine, quanta possum cum obseruantia supplicitur peto. Rogo autem patrem Domini nostri IESV CHRISTI, ut D. V. & uestram ciuitatem clementer protegat ac conseruet, uestraq; omnia consilia ad ædificationem Ecclesię Dei & incolumitatem

floretiss. Reip. uestræ gubernare dignetur: utq; id faciat, assiduè pro mea facultate D. Deum meum per filium eius IESVM CHRISTVM orare non cessauero. 1554.

V. D. Clementiss. humilis & subditissimus seruus,
Martinus Micronius, Ecclesiæ Germanicæ
Londinensis iam dissipatæ minister.

¶ Ad hanc Micronij supplicationē à duobus senatoribus totius Senatus nomine eo ipso die nostris respondetur: Magistratum de sua doctrina alioqui certum, de ea nullū cum pastoribus colloquiū permittere uelle. Sed Academias & scholas publicas, ubi de controuersis religionis capitibus disputari est consuetum, ipsas adeundas esse, siquidem omnino disputare liberet. Cumq; Senatus non ita nuper publico quodam decreto, omnibus Sacramētarijs ciuitate sua interdixisset, uelle etiam nunc mandare, ut iuxta illud decretum ciuitatē desererēt: nisi id expectare uellent, quod in honestis uiris indecorum foret. Ad quæ dicunt nostri: Durum hoc quidem esse, quód cùm grauia falsorum dogmatum & seditionum crimina publicè sibi quotidie impinguntur, ad ipsorum tamē legitimam purgationem non admitterentur, sed etiam ciuitate inauditi pellerentur. Verùm se id totū grato animo è manu Domini accipere: quem etiam orarent, ut bonam ac iustam ipsorū

causam

causam, sic ubiq; ab hominibus neglectam & exosam, tandem uellet pro sua bonitate tuendam suscipere. Cum in eam sententiam quædam dicerent, senatorum alter, q ætate erat minor, uix dum lachrymas continet. Et postera die, priusquam Hamburga soluerēt, intelligunt ex fide dignis hominibus, Senatorē unum, propter ipsorū profligationem & negatum cum pastorib. colloquium, sic contristatum fuisse, ut ex æde senatoria domum reuersus, mox æger magno cum uitæ periculo decubuerit. quē uirum paulo pòst ex ea ægritudine obijsse, ad nos est delatū. Cæterū paucis pòst diebus decretū illud senat⁹ aduersus Sacramētarios (ut illi loquuntur) semel latum, publicè in omnibus templis renouatur, ualuisq; templorum affigitur. Cumq; nostri omnes, quotquot ex Anglia uenerant, pro talibus haberentur, ciuitatem citra moram ullam extemplò relinquere coguntur: præsertim cum aduersum eos quotidie magis è suggesto uociferarentur concionatores, quorum antesignanus facilè fuit Vuestphalus. Accidit autem non multo pòst, circiter Paschales nimirū ferias, ut ex nostris duo & triginta fortè numero Hamburgā ex Anglia appellerent. Inter quos fuerunt Galterus Deloënus, uir trium linguarū undiquaq; doctissimus: & ipsius filius Petrus

 Deloenus,

Supr. fol. 22. Deloenus, cuius iam meminimus, qui nũc in Frisia Orientali indefessum Euangelij præconem agit apud generosum Tidonẽ à Knipens, uirum sanè Heroica pietate cõspicuũ: qui omnes in ciuitatem intromissi non sunt, sed foris sibi quisq; uxoribus & infantibus procul à ciuitate diuersoriũ quærere cogebantur. Verùm ipsi postridie, nempe Martij 24 die, per eius loci prefectum (qui multis bene instructis comitatus satellitibus uenerat) sub uesperum ex inopinato pelluntur. fuissetq; eis omnibus tum sub dio pernoctandũ, nisi uidua quædam, eorũ uices miserata, eos suo excepisset tuguriolo. Verùm nec apud illam tuta eis fuit mansio. Omnibus enim, qui ipsos exciperẽt hospitio, mulcta pecuniaria denunciatur. Magnis tamen multisq; precib. tandem à Magistratu illo impetrant potestatem in publico manendi diuersorio, dũ inueniant nauem, quæ eos aliò uehat. quá nacti, uigesimasexta Martij die, post magnas tempestates & naufragij pericula, tandem Frisica attingunt littora.

VBINAM DEVS NOSTRIS *sic dißipatis Ecclesijs tandem sedes dederit.* Cap. 9.

Sedes Ecclesiæ. POst arduam hanc nostram peregrinationem, Dominus Deus, qui olim seruo suo Prophetæ Ecclesiæ hospitium & cibum

bum apud uiduam Sareptanam prouidit: idem pro ſua clementia, noſtris apud illuſtrem Principem ac uiduã Annã ab Oldenburg Friſiæ oriẽtalis comitem ſedes dedit: atq; ipſi Paſtores Embdani, ac ciues, omnibus humanitatis officijs noſtros ſunt proſequuti. Ita enim pro paterna ſua bonitate conſueuit Deus afflictæ ſuæ Eccleſiæ tandem poſt graues afflictionũ procellas tranquillitatem dare. quemadmodum acta Apoſtolica teſtantur, poſt lapidatum Stephanum, & Eccleſię Hieroſolymitanæ diſperſionem, Chriſti Eccleſiam per totam Iudęã & Galilæam & Samariam habuiſſe pacem. Fidelis eſt Dominus, qui quos contemptę Eccleſiæ ſuæ Reges nutricios & Reginas nutrices promiſit, ſubinde etiam præſtet, quo nomine ſummas meretur gratias. *Act.9.*

Porrò cum Micronius ſemel atq; iterum Embdæ publicè docuiſſet, Nordam à principe mittitur, ad ſubeundũ illius Eccleſiæ miniſterium multo difficillimũ: cui uigeſima menſis Maij die publicè, anno 1554, iuxta Dei uerbum inauguratur. Cæterũ Ioannes à Laſco, proximo deinde anno, circiter finem menſis Aprilis, Embda commigrat Francofordiam: ubi à pientiſsimo Senatu humaniſsimè excipitur. à quo etiam non multo pòſt impetrat poteſtatem, Belgicæ Eccleſiæ in uſum piorum peregrino-

 rum

rum erigendæ, ac iuxta diuini uerbi regulam constituendæ. Ad cuius faciendæ initium Micronius per Ioannem à Lasco, & fratres ibi collectos uocatus, Francofurtú profectus ad decimumquintú Septembr. diem, anno 1555 primam ei colligendę Ecclesiæ habuit concionem. Rebusq; illius Ecclesiæ mediocriter pro initijs benè constitutis, ac Petro Datheno in ministerio illius Ecclesię relicto, Nordan ad suos domú reuertitur. Vbi adhuc tantisper dum uolet Dominus, Ecclesię defungitur ministerio.

Porrò Ioannes à Lasco tandem in patriá (unde uiginti amplius annos nomine religionis sponte sua iam exulauerat) iuuandæ ibi demú pullulascentis Christi Ecclesiæ causa, à plurimis Regni Poloniæ cùm uerbi ministris, tum potisimùm nobilib. uiris, circiter mensem Iunium anno 1556, per Petrum Antonium ciuem Francofordianum, literis ut minimum quadragenis planè seriò reuocatur. Is uerò in Frisiam Orientalem misis ad me fratresq; illic nostros per famulum suum literis, me planè amanter ac seriò inuitabat, rogans ut me sibi comitem ac socium itineris in Poloniá adiungerem: si qua fortè utilem Ecclesiæ Christi Domini operam uspiam cum ipso nauare possem. Ac ex consilio fratrum nostrorum in Frisia illa hác inuitationem

pro

pro diuina quadam uocatione amplexatus, Francofurtum 8 Septembr. die ueni, ac 21 Octobr. relicto Francofurto (diuino beneficio) 3 Decembr. die peruenimus in Poloniam: in qua quidem (ut alibi passim) est sanè messis multa, operarij uerò pauci. Quamobrem rogandus est Dominus messis, ut operarios extrudat in messem suam: qui spiritu fidelitatis & prudentiæ donati, loquantur sermonem Dei: populoq; peccata sua liberè, ac salutare Dei, fideiq; iusticiam, in solo Christi Domini sanguine positam, fideliter annuncient: utq; serenissimum Sigismundum Polonorum Regem, uarijs alioqui uirtutibus ornatum, ac omnes ipsius ubiuis proceres, totamq; demũ Nobilitatem in eminentia quadam, summa alioqui libertate, constitutã, maiore ac maiore uerbi sui cognitione per spiritũ sanctum suum illustrare dignetur, ad operum satanæ destructioné, ac regni CHRISTI Domini incrementum. Quod indubitanter futurum est, nisi nos, qui nomen dedimus Euangelio Christi Domini, nostra ingratitudine obstemus, cursumq; Euangelij haud quaquam alioqui pœnitendum impediamus, quo minus ad metam optatam speratamq; perducatur.

EPI-

EPILOGVS NOMINE MINI*strorum omnium* Ecclesiæ Pe*regrinorum*.

IAm fratres noſtros omnes dilig͠eter propter Chriſtum admonitos uolumus, ut huius ſuæ peregrinationis memores, Deũ timeant, eius uerbum ament, ſeſeq; ad pietatem in eo exerceant. charitat͠e fraternam inter ſeſe mutuam ſanctiſsimè colant: nec ea pace, quam ad tempus benignè concedit Dominus, ad uitia & diſsidia ingratè & turpiter abutantur: ſed potius exemplo Apoſtolicæ Eccleſiæ, in timore Domini uerſentur, ut multiplicentur conſolatione Spiritus ſancti: Act. 9. Ne etiam doctrinã per nos è fontibus ſacræ Scripturæ traditam, & tam multis modis per publicũ Prophetiæ uſum in Anglia primùm, deinde per uarias cruces & liberũ cum omnib. tam clancularijs quàm publicis hoſtib. congreſſum exploratam, defenſamq; temerè reijciant, aut ſuſpectam habeant. Si quis tamen de eius aliqua parte dubius hærebit, mox ad ſacræ Scripturę iudiciũ ex ſyncero & pietatis ſtudioſo pectore, per ard͠etes ad Dominum preces recurrat. Accuſamur quidem à multis prophanationis ſacramentorum, ſimiliumq; criminũ, ac digni eo nomine uarijs iudicamur ſupplicijs. Verùm ab iſtiuſmodi calumnijs liberant nos libri noſtri, et

tota

tota huius nostræ profectionis historia. Sed cum pasim omnia prauis iudicijs ita sint corrupta, ut nihil tam bene dici posit, quod non calumnijs sit expositũ: nec quisquam ferè à receptis semel opinionibus uelit resipiscere, ne uspiá erraſſe uideatur: cogimur ad Dei tribunal prouocare, cui nos semel omnes sistendi sumus nudi. Nec dubitamus tamẽ à iusto illo iudice causam nostram approbatam iri, utcunque iam ab hominibus conspuatur, explodaturq;. Interim pium æquumq; lectoré per Christum rogam9, ut si quid à nobis in hac nostra profectione, aut aliàs in doctrina peccatum esse putat: id non ulli nostræ malitiæ, sed humanæ ascribat infirmitati & ignorátiæ, ac per Christũ ignoscat. Et si quidem quod culpat, erit maioris fortè momẽti, nos non traducat, sed Christianè de eo commonefaciat. Parati enim sumus, semper cum Ioanne Baptista minui, ut crescat CHRISTVS Dominus.

¶ Postremò pios omnes per Christũ rogatos uolumus, ne aduersum eos qui nos hic in cruce nostra persequuti sunt, ullum concipiant odium, aut ignem cum Iacobo & Ioanne cœlitùs in eos ob negatũ hospitium dimitti postulent: quin potius iuxta Christi doctriná eis bene precentur, ac pro eis Deum nobiscũ supplices rogent, ut resipiscant, Luc. 9.

ſipiſcant, ac ſalui fiant. Precamur etiã ſedulò omnes, ut Dominus hæc triſtia Eccleſiæ diſsidia tandem tollat, aut ſaltem mitiget: fideiq́ue unitatem omnibus quotquot Chriſtum profitentur iuxta conſenſum doctrinę Propheticę & Apoſtolicæ, pro paterna ſua bonitate largiri dignetur: Amen.

Peregrinorum Eccleſiæ Londinenſis hiſtoriæ Finis, 1557. *Aug.* 29.

Ad

AD CHRISTIERNVM, SERENISS. DAnorum Regem, &c.

SAcra Maiestas Regia, & Domine Domine clementissime, diligentissimam officiorum meorum commendationem.

Mirũ fortè uideri poterit & tibi & tuis, Rex serenissime, quòd ita nuper apud te in publica concione proscissus, atq; iniquissimo cum meis omnib. præiudicio damnatus: deniq; & abs te ipso eo loco habitus, ut indignũ esse iudicares, cui tantum crederes, ut me ad meam Ecclesiam, cuius nomine ad te ueneram: ad meos item liberos, fiducia benignitatis tuæ in regnũ tuum adductos: & ad meas etiam res colligendas, abs te rursum redire patereris: scribere iam ad te interim, teq; quorundam adeò admonere etiam uoluerim, ac non potius mihi à scribendo omnino temperarim. Sed ego sanè ea omnia quę mihi apud te obtigerũt, non tam tibi quàm alijs imputo potius: proq; omnibus gratias ago Diuinæ Maiestati, certus, per meam istiusmodi ignominiam, glorificandum esse & nomen & regnum CHRISTI Domini, in Ecclesia ipsius. Ac proinde prætermittẽdum mihi apud te adhuc non esse existimaui, quòd ad debitũ officiumq; meũ, pro mea in Christum Dominum

minũ & eius Ecclesiam fide, intelligo pertinere. Non dubito autem id pertinere omnino, ut cum te eum Regem esse profitearis, qui iusso ualere Papismo toto, doctriná Euãgelij amplexus sis, eamq; te & sequi & tueri etiam uelle dicas: eius te sanè reuerenter quidem, ut pręcellentẽ Dei ministrum, sed liberè interim atque Christianè, ex uerbo Dei, admoneam: in quo mihi præter doctrinam Euangelij, legemq; charitatis Christianæ egisse, atque non in eam modò quæ ministerio meo est concredita, sed in catholicam adeò ipsam CHRISTI Ecclesiam omnino etiam peccasse uideris. Neque uerò ideo quòd te ita peccasse dico, commoueri protinus, mihiq; succẽsere debebis, Rex potentissime: siquidem, quod diceris, uerè te etiam esse declarare cupis, nempe Regem Christianum. multo minus autem cogitabis, me eo ad te animo scribere, quasi per te offensus, tuæ uicissim Maiestati atq; existimationi Regiæ quicquam omnino detractum, aut ullo prorsus modo aspersum uelim. Equidem pluris est apud me pręcellentis tuæ uocationis, in Ecclesia Christi, excellentia, tua item spectata alioqui orbi toti probitas, & studium singulare erga religionem, etiamsi iudicio circa illam (ut homines sum⁹ omnes) alicubi fallaris: quàm ut unius aut alteri⁹ peccati nomine, digni-

tatem, existimationem atq; gratiam apud omnes tuam eleuari quoquo modo, ne dicam labefactari, uelim. Imò uerò gratias ago Domino Deo nostro, quòd te talem Regem (quod ad te quidem attinet) suæ Ecclesiæ nostris hisce temporibus donauerit: & opto, ut alia quoque orbis Christiani regna, perinde amantes religionis ac publicæ tranquillitatis Reges, Diuino beneficio habere posint. Sed quemadmodũ unum aut alterum peccatum non efficit, quo minus sancti interim & sint & habeãtur Principes ipsi, suamq; nihilominus autoritatẽ atq; existimationem apud pios omnes retineant: si modò pietatem suam, studiumq; erga religionem, alibi rursus attestentur & declarẽt: ita etiam quamlibet spectata ipsorum probitas efficere alioqui non potest, quo minus peccasse dicãtur, si quando contra Deum aliquid, eiusq; Ecclesiam committunt. Et cum tanto sint maioris offendiculi peccata ferè omnia, quanto sint maiore loco qui illa commiserunt: tanto èquidem minus sunt etiam disimulãda, ijs pręsertim, per quos peccata omnium, mandato Dei ipsius, annũciari debent. In quorum sanè numero cum & ego, supra omne meritum dignitatemq; meam, sed Diuina interim ordinatione, constitutum me esse uideam: quod quidem ad cõcreditas mihi Ec-

clesias meas attinet: tuq; mihi aduersus illas peculiariter peccasse uidearis: facilè intelligere potes, intelligēt & pij omnes, me ex officio meo facere, quòd te peccati tui admoneam. Et tui uicissim officij esse, ut me benignè ac clementer audias: non autē cōmouearis, si quidem tibi peccatū tuum, non sanè ex meo ipsius cerebro, sed è Verbi Diuini fontibus commonstrauero. Quemadmodum olim sanctissimi alioqui Reges, etiam de peccatis admoniti, adeò sanè æquanimiter tulerūt ministrorum in Ecclesia admonitiones: ut illos & cariores multo deinceps habuerint, & precibus eorum sese insuper commēdarint. Ostendam tibi igitur, Rex Serenissime, peccatū tuum ex uerbo Dei, ut illud agnoscas: culpamq; illius non apud mundum, sed apud Dominum Deum, in corde tuo depreceris. Duo sunt autē, in quibus mihi grauiter peccasse uideris.

Primum, quòd non meam solùm, sed catholicam planè Christi Ecclesiam passus sis apud te, iniquissimo sanè præiudicio, neq; aliunde quàm ex calumnijs & sutelis nescio quibus collecto, proscindi atq; damnari. Deinde, quòd dissipatas Antichristiana tyrannide, non meas, sed Christi Ecclesias, fidei duntaxat meæ concreditas, ita tractaris, ubi ad te, fiducia pietatis tuę, confugissent,

ſent,opemq; per me tuam ſupplices,CHRI-STI Domini nomine,implorarent:ut ſi uel ad Ethnicos ueniſſent, clementius ſanè illas excipiendas fuiſſe non diffidam.Hic ergo utrobiq;, ut te contra Deum & eius Eccleſiam grauiter peccaſſe intelligas: utrũque tibi peccatum hic tuum ſingillatim ob oculos ponam. Quodq; ad primum attinet: Non arbitror te ignorare, quanti CHRISTVS Dominus ſuam in terris Eccleſiam & ipſe faciat, & ab omnibus,potiſsimùm autem à Regibus ac Monarchis,fieri etiam uelit.Sanguis ipſius innocentiſsimus, quo illam ſibi conſecrare uoluit: atq; additus ei corporis eius titulus, nempe ut ſit caro ex carne, & oſſa item ex oſsibus eius:ipſe ſit uiciſsim caput, frater, ac ſponſus ipſius æternus:Hæc inquã perſpicuè teſtantur,quanti CHRISTVS Dominus ſuam hic in terris Eccleſiam faciat, ut qui in illam peccant, culpa ſe hauddubie profanati pariter ſacroſancti et ſanguinis et corporis CHRISTI liberare non poſsint. Rurſus dum Reges ac Monarchas altorum ac paſtorum titulo nõ fruſtra proculdubio ornari audimus:conduplicari ſanè culpam eorum intelligimus,ſi curam Eccleſiæ uel negligant, uel ad ſe non pertinere putent. Nec dicam, ſi illam Antichriſtiana tyrãnide diſsipatã, longiſsimisq; ac grauiſsimis

itineribus agitatam, adhæc afflictam, atq;
ad se pietatis fiducia profugam, deniq; &
CHRISTI Domini nomine supplicem, auer
sentur prius quàm audiát, ac diris omnib.
deuoueant & condemnent: idq; sub Euan
gelij prætextu scilicet, cuius patronos ac
defensores esse profitentur. Hic igitur tuũ
ego te factum propius intueri uelim, Rex
clementissime. Venimus ad te dissipati, ꝓ-
fugi, ac CHRISTI nomine supplices. Tu, pri
usquam nos audire uelles, doctrinã nostrã,
nosq; adeò ipsos, in publica concione ad
quam nos deduci iussisti, iniquissimè pro-
scindi atq; damnari, si non omnino uolui-
sti, ita certè passus es, ut condemnationem
illam nostri demum propulsione minimè
obscurè approbaris: neq; ad ullam nostri
purgationem nos admiseris quoquo mo-
do. Id totum sanè ita actum esse, meminis-
se te puto, quod quidem ad nostri condem
nationem in publica concione attinet. At-
que sanè, siue nos pro membris Ecclesiæ
Christi habueris, siue non habueris: siue i-
tem nostras Ecclesias pro Christi Ecclesijs
agnoueris, siue non agnoueris: utrumlibet
hic tibi deligas, utrobiq; te culpa profanati
in nobis & nostris Ecclesijs corporis ac san
guinis Christi, liberare nunquam poteris
in iudicio Dei, nisi peccatum tuum agno-
scas, & culpam illius apud thronũ gratiæ
Dei

Dei depreceris. Etenim ſi nos noſtrasq; Ecclesias pro membris in catholica Chriſti ecclesia agnouiſti: quos uidelicet ipſe ſibi, & ſanguine ſuo precioſiſsimo conſecraſſet, et ſacroſancto corpori ſuo incluſiſſet: tu ipſe tuus hic iudex eſto, num, CHRISTI Domini corpus & ſanguinem in nobis noſtrisq; Eccleſijs ita honoraueris, ut ab altore & paſtore Eccleſiæ ſuæ debuerant honorari: cum nos nondũ auditos proſcindi ac damnari patereris in ea concione, ad quam nos, priuſquam te adiremus, deduci uoluiſti. Neq; hic pluribus uolo agere: ſed tuam ipſius conſcientiam hac in parte appello: & oro, ut illam Domino Deo tuo approbare uelis. Si uerò nos noſtrasq; Eccleſias pro membris CHRISTI non es dignatus agnoſcere, grauius multo adhuc dignitatem corporis & ſanguinis CHRISTI in nobis profanaſti. Ne quæſo hic ſuccenſeas: re ipſa, quod dico, uerum eſſe uidebis, ſi rem paulo diligentius tecum reputare uelis. Grauiter ſanè peccat, qui Regis ſui autoritatem contemnit, proq; nihilo ducit. Sed multo grauius adhuc peccat, qui non dignitatem modò atq; autoritatem Regis ſui pro nihilo ducit, ſed Regẽ quoq; ipſum regno ſuo, aut bona eius parte ſpoliare, excludereque conatur. Regnũ porrò CHRISTI Domini, Regis regũ omnium, in terris, ſunt Eccle-

siæ ipsius: quibus sanè CHRISTVM Dominũ spoliare, prorsusq́; excludere conamur, dum eas pro membris ipsius, ipsumq́; pro illarum capite agnoscere non dignamur: etiamsi illas fundamento per ipsummet CHRISTVM Dominum posito insistere uideamus. Ita cum libelli nostri palàm & disertè testentur, nostras Ecclesias huic ipsi fundamento manibus & pedibus (quod dicitur) pro nostra infirmitate inniti: cũ nullius item erroris ullo unquã legitimo ordine, ab ulla omnino restituta Ecclesia, nõ dico accusati, sed ne admoniti quidẽ, nedũ cõuicti simus: imò cum à maxima restitutarũ ecclesiarũ parte pro fratrib. agnoscamur: nosq́; illas etiam in Domino ueneremur: grauius multo profanasti dignitatem corporis & sanguinis Christi in nobis, Rex serenissime, siquidẽ nos nostrasq́; Ecclesias pro membris Christi in catholica ipsius Ecclesia nõ es dignatus agnoscere, priusquã nos etiam audisses, quàm si agnitam in nobis membrorum CHRISTI dignitatem contemnendam esse putasses. Accipe uerò & aliud exemplum, quo rem plenius cognoscas. Qui mutuam coniugum aliquorum desponsionem, potissimùm autem Regũ aut Dominorum suorum contemnunt, rident ac traducunt: eos sanè quisq; intelligit, in Reges ac Dominos suos esse contumeliosos,

meliosos, dignosq́; qui à suis illis Regibus ac Dominis proculdubio puniantur. Sed nemo negauerit, infinitis modis grauius peccare illos, multoq́; digniores qui plectantur, qui Regis sui sponsam illi abripere, atq; ad ganeas propellere conentur. Ita cum scriptura omnes qui sunt in Ecclesia, mystici coniugij uinculo, CHRISTO Domino, ut castam uirginem, desponsos esse testetur: & nos quoq;, nostrasq́; Ecclesias ad hoc ipsum uinculum pertinere constet, Baptismi primùm, deinde uerò confessionis nostræ, ac ministerij in Ecclesia nostri testimonio: equidem nullis suffugijs uitare poteris, quo minus in tua ipsius conscientia conuincaris, te grauius multo in sponsum nostrum CHRISTVM Dominum, dignitatemq́; corporis & sanguinis Christi in nobis peccasse, siquidem nos pro membris ipsius in ipso mox aduentu nostro agnoscere noluisti: quàm si agnitum nostræ cum CHRISTO desponsionis uinculum pro nihilo tibi duntaxat habendum esse iudicasses. Enimuerò quatenus desponsionis nostræ illud cum Christo Domino uinculum non modò contemnere in nobis nostrisq́; Ecclesijs agnitum, sed ne agnoscere quidem etiam noluisti, hactenus sanè nos spōso nostro CHRISTO Domino (quod in te quidē erat) abripere conatus es, atq; in Satanæ ga

neas propellere: cum eos quos pro Christi membris agnoſcere nolumus, alio ſanè loco quàm pro Satanæ membris habere non poſsimus. Vides igitur (Rex Sereniſsime) in utramlibet partem te uertas, culpa te nihilominus utrobiq; teneri, læſæq; dignitatis in nobis, noſtrisq; Eccleſijs corporis & ſanguinis Christi, per iniquam noſtri illam apud te in publica cõcione condemnationem: ſiue nos pro Christi membris agnoſcebas, ſiue non agnoſcebas.

Quod uerò ad alterum peccatum tuum attinet, illud quoq; ex iiſdem fontibus facilè commõſtrari poteſt. Quemadmodum enim publica illa noſtri, Eccleſiarumq; noſtrarum apud te facta condemnatio, in corpus & ſanguinem CHRISTI Domini, ut dictum eſt, redundat: ita ſanè omnem noſtri Eccleſiarumq; noſtrarum tractationem apud te, CHRISTVS ipſemet Dominus ſibi olim (niſi culpam apud illum depreceris) imputare ſe uelle teſtatur. Neq; hic multis opus eſt, ad cõmemorandam noſtri, Eccleſiarumq; tractationem. Venimus ad te (ut antea quoq; dictum eſt) diſsipati Antichriſtiana tyrannide, profugi, per maria ac terras longiſsimo ac grauiſsimo itinere iactati, inedia propemodum cõfecti: & uenimus Christi nomine ſupplices, pietate ac benignitate tua, multorũ teſtimonijs lau-

data,

data,confisi. Ibi uerò,etsi nōdum admissos, neq; auditos, iniquisimo præiudicio dam nari audissemus:nostram nihilominus petitionem de admittēdis apud te nostris Ecclesijs supplices prosequuti sumus, sperantes fore ut hæc tanta præiudiciorū iniquitas cum tempore corrigeretur. Expetijmus abs te, ad approbanda nostra omnia, qualiacunq; tu ipse uoluisses, siue priuata siue publica colloquia, à quibus modò conuicia,calumniæ & præiudicia excluderentur,quæ Christianos alioqui homines, nedum Doctores,haudquaquam decerent. Subijciebamus nostra omnia Verbi Diuini autoritati:àtque ad hanc solam omnia examinari postulabamus. Testati sumus,nos multo libentisimè cessuros esse docentibus meliora ex uerbo Dei, si nostra inde etiā approbare non possemus. Orauimus postremò,ut positis humanis affectibus, soli⁹ Dei gloria in pacificandis Ecclesijs doctrinæq; controuersijs omnibus quæreretur. Nos, quemadmodum ubique hactenus pacem,non disidia: societatem Ecclesiarum indiuiduam, non schismata ulla quæsissemus: ita non passuros esse nunc etiam, ut quicquā in nobis omnino, hac sanè in parte, desideretur. Hæc nos sanè ita egimus omnia: id quod nostra alioqui tradita tibi per me Supplicatio abundè testatur. Sed

hiſce omnibus adeò nihil efficere apud te potuimus: ut ne receptaculum quidem apud te ad extremum, in media propemodum hyeme, noſtris Eccleſijs, neque nobis reditum ad illas etiam permittere ſis dignatus. Neque hic preces noſtræ omnes per CHRISTI nomẽ apud te habitæ, tantum ualere potuerunt, ut uel noſtris Eccleſijs, in quibus multos ualetudinarios, multas itẽ grauidas, ac fortè etiam puerperas iam eſſe dicebamus, domicilium, per hyemem ſaltem, uel nobis ipſis reditum ad illas (ut eis ꝑ fide noſtri miniſterij adeſſemus) ullo modo potuerimus impetrare. Quid quod ex tuis palàm audiuimus, facilius te multo in regno tuo Papiſtas, & quaſcunq; tandem alias ſectas laturũ eſſe, quàm noſtras Eccleſias? Atque id quidem neſcimus, tuo'ne iuſſu nobis ſit dictũ, nec ne: ſed de te nobis, & quidẽ à tuis dictũ eſſe ſcimus. Et re ipſa Papiſtis in Regno tuo domiciliũ, denique & opes & honores permitti uidimus: cum nos in media hyeme propelleremur. Quid uerò eiuſmodi admiſimus', obſecro, ut cum Papiſtis ac ſectis quibuſuis alijs eodem apud te, aut etiam deteriori loco haberemur? Sed ſi eodem nos cum Papiſtis, aut etiam deteriore loco ponis: quo pacto nobis per tuos conſiliarios eo nomine gratulatus es, quòd ad Papiſmũ

relapſi

relapsi non essemus in Ecclesiarum nostrarum dissipatione? Hæc enim tuis uerbis, per tuos consiliarios nobis dicta fuerunt. Sed ea nos tibi ipsi, Rex serenissime, tecum perpendenda relinquimus potius, quàm ut illa pluribus prosequamur. Certè ego summopere doleo, me tecũ de his ita agere oportere: nisi quòd pro Ecclesiarũ mearum dignitate, meiq; in illis ministerij fide, aliud facere non possum. Ac uellẽ te hic posse intueri cor animumq; erga te meum: nimirũ uideres, me tibi reuera multo melius in Domino uelle, etiamsi te ita peccati nunc tui admoneam: quàm illi faciũt, qui tua apud te laudant omnia, tuaq; interim probitate & clemẽtia, quod non deberent, indignissimè abutuntur. Quos ego alioqui etiá maiore haud dubiè peccati tui culpa, quàm teipsum, teneri puto: etiam si te quoq; culpa tua liberare nõ possim. Habes iam Rex Serenissime, positũ tibi ob oculos peccatum tuum: in quo, si tibi plus æquo liberè egisse uideor, cogita me id pro Ecclesiarum mearum dignitate & fide mei ministerij facere oportuisse: sed tamẽ id totum fecisse, nõ equidẽ lædẽdi quoquo modo, eleuãdi'ue, sed iuuãdi potius tui, medicandiq; animo. Atq; in ipsa peccati exaggeratione, te quidem non excusari (grauiter enim peccasti reuera) sed eorum potius

interim

interim accuſari impudentiam, qui probitate, hac in parte, benignitateq; tua Regia indigniſsimè certè ſibi ad nos infamandos abutendum eſſe putarunt. Neq; nouum eſt, optimis oculis peſsimos quandoq; ficos adhærere. Ita mirum non eſt etiam, optimis quibuſq; Principib. peſsimos ardeliones adeſſe, adeoque & ægrè ab illis auelli poſſe. Sed ſi id uſquam eſt dolendum: maximè ſanè eſt dolendum apud eos Principes, qui candido ſimpliciq; corde animum adijciunt ad reſtituendam ueram religionem. Vt enim quiſq; hic minimum fellis habet, ita alios quoq; omnes ſine felle eſſe putat: et ut quiſq; eſt optimus, ita maximè eſt credulus. Fitq; ita demum, ut optimi quiq; facillimè etiam hypocritis credant: & facillimè demum etiam non quidem ſuo uitio, ſed illorum dolis atq; impoſturis fallãtur, inq; multorum ad extremùm peccatorum ſocietatẽ pertrahantur. Poſſem hic multa eiuſmodi exempla, noſtri iam tẽporis, proferre: ſi nõ illa deplorare potius, quàm commemorare mallem. Sed optaremus, te quoq; inter ea recenſeri non poſſe.

Quod porrò iam eſt proximum, Deum opt. max. oro, ut te regat ac gubernet: liberetq; te à ficis tuis, ne grauius adhuc tua ꝓbitate abutantur. Equidem dolendum eſt, nomen tuum per iſtos infamari, quod alioqui

qui pijs ubiq; omnibus commẽdatiſsimũ eſſe oporteret: & eſſet proculdubio longè commendatiſsimum, niſi iſti obſtarent. Quanquam nemo eſt, qui probitatem, candorem, integritatemq́; tuam, deniq; & ſtudium tuum erga religionem, non libenter agnoſcat: niſi quòd dolemus, te, impudentia atq; hypocriſi quorundã tranſuerſum agi: donaq́; Dei in te per illos infamari. Alioqui probitate atq; integritate tua factũ uidemus, ut etſi publica unius tui cenſura damnati eſſemus, tua tu interim erga nos beneficentia ſis uſus: & tuam peculiariter erga me propenſionẽ clementer declaraueris etiã, dum & liberos meos iſtic relictos, in curã tuam te recepturũ eſſe mihi indicares, ſiquidẽ id tibi permitterẽ: & ſupellectilem meã iſtic aſſeruari poſſe permitteres, donec pro illa miſſurus eſſem. Hęc ſanè nõ leuia nobis argumenta fuerunt, agnoſcendæ probitatis ac benignitatis tuæ: nobisq́; hoc etiam gratiora, quòd non obſcurè teſtarentur, cõdemnationem noſtri illam apud te factam, eo apud te loco non fuiſſe, ut nos eodem planè loco cum deploratis illis hæreticis poneres, quibus tamen adnumerabamur: quos alioqui munificentia tua ſine piaculo iuuare non potuiſſes. Quòd igitur munificentia tua in nos ſis uſus, quódque tuam erga me peculiariter propenſionem

nē declarare uolueris: id ſanè ex tua ipſius adnata probitate & clementia factùm eſſe nō dubitamus, tuæq́; Maieſtati Regiæ hoc nomine ſumma cum obſeruantia gratiam habemus: oramusq́;, ut eo nos animo complecti etiam pergat. Quòd uerò nos apud te paſſus ſis proſcindi ac condemnari: quòd item nos noſtrasq́; Eccleſias, cenſuræ illi' nomine, in regno tuo ferendas non eſſe iudicaueris: id ſanè totū cenſoris tui illius impudentiæ, & ſui ſimiliū, maxima ex parte acceptum referimus: etiamſi te hic quoq; prorſus, ut dictum eſt, non excuſamus. Peccatum enim grauius eſt, quàm ut excuſari ullo modo aut debeat, aut poſsit. Quoquo enim modo aſſenſus es illi condemnationi, non in noſtras ſanè Eccleſias tantū, ſed in catholicam adeò ipſam Chriſti Eccleſiá, & proinde in ipſum quoq; Chriſti Domini corpus & ſanguinem peccaſti: ſiue dum nos à catholica illius Eccleſia, nō ſine illius pariter ac noſtra iniuria, reſcindis per cenſoris illius tui cōdemnationem: ſiue dum illam nobiſcum pariter eius doctrinæ nomine condemnas, quam illi nobiſcum cōmunem eſſe, perpetuo atq; unanimi eius conſenſu, indubitatò conſtat. Video me prolixiorem eſſe, quàm initio uolebam. finem faciam igitur. Tantum te oro, Rex clementiſsime, intuere propius factum tuū,

quo noſtras Eccleſias, pręter meritum illarum, præterq́; doctrinam Euangelicam, & præter legem etiam charitatis Chriſtianæ, cenſoris illa tui cõdemnatione & tua propulſione infamaſti. Et uide tuam conſcientiam, ut illam non mundo huic, neq; item tuis cenſoribus, qui & ipſi falli ac fallere poſſunt: ſed Domino Deo tuo, in cordis tui penetralibus approbare poſsis.

Quod reſtat, Deum oro, ut dona in te ſua augeat, illaq́; per ſpiritum ſanctum ſuũ regat & ornet, ad diſsidiorum in ſua Eccleſia compoſitionem, & ad tuam ipſius ſalutem: Amen. Meq́; & meam tenuitatem tuę Maieſtati ſumma cum obſeruantia commendo. Quod ſi quid mihi reſpondere dignaberis: id per D. Henricum concionatorem tuum tibi licebit, ad quem etiam ea de re ſcripſi: & non dubito talem eſſe, cui facile credi poſsit. Æmdæ, undecima Decembris, Anno 1553.

Sic ſubſcriptum,

Sacræ Maieſtati tuæ Regiæ addictiſsimus,
Ioannes à Laſco
manu propria.

RATIO-

RATIONES QVAEDAM, CVR VERBA ILLA COEnæ, HOC EST CORPVS MEVM, HOC EST SANGVIS MEVS, nō ſecundum literam, ut de carnali oris manducatione & bibitione corporis & ſanguinis Chriſti intelligātur, ſed myſticè exponi oporteat: collectæ

Per IOANNEM VTENHOVIUM Gandauum.

1.

Pugnat expoſitio illa uerborum Cœnæ (iuxta literam) cum natura Sacramentorum.

1. Verba inſtitutionis Sacramentorum aliorum omnium, cùm ueteris tum noui Teſtamenti, nō ſecundum literam, ſed myſticè neceſſariò exponi oportet. Verba Cœnæ ſunt inſtitutio Sacramenti: neq;, cur in illis exceptio ulla fiat, ex Scripturis doceri poteſt. eſt enim unum atq; idem myſteriū omnium Sacramētorum: nempe ipſa communio ſeu ſocietas corporis & ſanguinis Chriſti. Ergo & uerba inſtitutionis Cœnæ Dominicæ non ſecundum literam, ſed myſticè exponi neceſſariò oportet.

Matth. 28. 2. Sacramenta omnia ſunt ſignacula appenſa Euangelio. Sed contra naturam ſigil
Marc. 10. penſa Euangelio. Sed contra naturam ſigil
Rom. 4. lorum eſt, naturaliter eſſe idipſum cuius

ſigilla

ſigilla ſunt: aut in ſe reipſa & corporaliter continere donum ipſum, quod obſignant. Ergo neq; panis Cœnæ eſt ipſum reale corpus Chriſti, neq; realiter in ſe cõtinet quod Cœnæ uſu obſignatur. Ac proinde nuda illa ac ſimplex (iuxta literam) uerborum Cœnæ interpretatio conſiſtere non poteſt.

3. Sacramenta ſunt inſtituta, ut ſeruiãt infirmitati fidei noſtræ. Porrò per imaginationem carnalis præſentiæ ſub elementis Cœnæ, quam literalis illa expoſitio ſecum trahit, non ſolùm non iuuatur infirmitas fidei, ſed potius turbatur ac læditur ipſa fidei ratio: denique & natura omnium ſacramentorum, atq; adeò mens ipſa uniuerſæ Scripturæ labefactatur. Ac proinde nuda illa ac ſimplex iuxta literam, uerborum Cœnæ interpretatio, ut ſonant, conſiſtere non poteſt.

Sed dicat aliquis: Si in elementis Cœnæ corpus Chriſti Domini realiter & in ſpecie, ut dicitur, non adeſt: ergo & inutilis & inanis erit Cœnæ Dominicæ uſurpatio. *Obiectio.*

Reſpondetur. Quemadmodũ ſigilla non deſinunt eſſe & utilia & neceſſaria, etiamſi neque idem ſint quod donum ipſum, neq; etiam donũ ipſum realiter in ſe cõtineant: ita quoq; non deſinet utilis, efficax & neceſſarius eſſe Cœnæ Dominicæ uſus, etiãſi panis Cœnæ nõ ſit ipſummet corpus Chri-

sti, neque illud in se realiter contineat & complectatur.

4. In omnibus Sacramentis necessariò opus est elementis quibusdam, quorũ usu tanquam uehiculo aliquo ad mysterium ipsum subuehamur. Si autem uerba Cœnę propriè, iuxta literam, ut sonant, rigidè accipiantur, nulla hauddubie elemẽta in Cœna sunt futura: utpote quæ iam in ipsum Christi corpus sint transmutata. Ergo uerba illa Cœnæ non secundum literam, ullo prorsus modo, sed mysticè sunt exponẽda.

5. Sacramenta omnia externis symbolis spiritualem ueritatem figurãt, si modò pro Sacramentis haberi debeant. Si autem uerba Cœnæ iuxta literam exponerentur, nulla ueritas sub ipsis symbolis Cœnæ figuraretur. Ergo uerba illa Cœnæ iuxta literam, ut sonant, exponi non posse, est indubitatissimum.

2.

Rom. 12. *Pugnat cum uera fide & eius analogia, quam in omni expositione Scripturarum (iuxta doctrinam Apostolicam) retineri oportet.*

1. Non est spiritui sancto proprium, locũ aliquem Scripturarum truncatè torquere, contra alia Scripturarum loca, non considerato subiectæ materiæ argumẽto. Quinimo hoc ipsi Satãnę proprium esse constat.

Sed

Sed uerba illa Cœnæ Dominicę iuxta literam, ut sonát, propriè accepta, truncatè torquentur contra alia infinita Scripturarum loca, non considerato subiectæ materiæ argumento. Ergò ea uerborum Cœnę Dominicæ crassa, ut sonant, interpretatio, cum fidei analogia conuenire non potest. Matth. 4.

2. Scriptura passim testatur, nos sola fide iustificari, seu sola fide à nobis percipi misericordiam Dei, per quam seruamur. Corporis & sanguinis Christi communio est opus misericordiæ Dei, per quã seruamur. Ergo sola fide, non autem ore carnali percipitur communio salutaris corporis & sanguinis Christi.

3. Fides non nouit nisi unam duntaxat salutarem corporis Christi manducationẽ: nimirum spiritualem illam solis filijs Dei propriam, de qua Christus Ioan. 6. Ergo literalis illa uerborum Cœnæ interpretatio, carnalisq; corporis Christi manducatio, cum fide uera consistere non potest.

4. Per doctrinam realis istiusmodi præsentiæ & manducationis corporis Christi in Cœna, quæ ex literali illa uerborum Cœnæ expositione nascitur, natura & uis ipsa fidei nostræ obscuratur & uiolatur. Paulus enim docet fidem nostram uersari circa futura, non autem reipsa præsentia: nimirum quæ in spe posita, etiamnum expectantur.

Et fidem nobis commendat, quæ contra ſpem ſub ſpe (ſublata omni diffidētia) credit. ſub eiuſmodi autem reali præſentia & manducatiōe corporis Chriſti in pane Cœnæ, non in ſpem rei abſentis credere iubemur, ſed fide iubemur apprehendere quod reipſa pręſens eſſe, atq; ita demum miniſtri manibus porrigi & ore carnali edi docetur. Ergo natura & uis ipſa ueræ fidei per doctrinam eiuſmodi realis in pane Cœnæ pręſentiæ & manducationis obſcuratur & uiolatur.

5. Repugnat articulo aſcenſionis, quam Chriſtus Ioan. 6. opponit illi Capernaitarū imaginationi de carnali eſu & potu corporis & ſanguinis ſui: ſatis alioqui iam tū indicans, ſe nihil de tali, ſed de ſpirituali manducatione fidei agere. Igitur doctrina hæc in Eccleſia Chriſti Domini foueri non debet.

Obiectio. Sed dicat rurſum aliquis, Capernaitas cogitaſſe aliquam carnis Chriſti per fruſta manducationē: ſe uerò nihil tale adeò craſſe cogitare, ſed integrā corporis & ſanguinis ſui manducationem ac bibitionem: ac proinde iniquè ſe inter Capernaitas cenſeri. Reſpondetur. Si cetus piſcis ideò minus craſſe Ionam deuorauit, quòd illum integrum, non aūt commanſum deglutiuit: tum etiam Capernaitæ nō ſunt, qui de integri,

tegri, non autem dissecti corporis Christi carnali interim manducatione differunt. Sed si negari nõ potest, Ionam crassissimè ac corporaliter prorsus à ceto deuoratũ esse etiamsi commansus non esset: imò si immanius magisq; belluinum est uiuum atque integrum hominem deuorari quàm dissectum: multo etiam æquius inter Capernaitas numerantur, qui integrũ iam uiui Christi Domini corpus carnaliter in pane Cœnæ uorari docet, quàm illi qui de eius dissectione imaginabantur.

6. Aduersatur perpetuę expectationi extremi aduentus Christi Domini, qui unicus nobis expectatur. Is enim obscuratur ꝑ quotidianos, eosq; innumeros eiusmodi aduentus, qui per illam iuxta literam uerborum Cœnæ Domini interpretationem constituuntur. Ergo uerborum illorũ Cœnæ iuxta literam, ut sonát, acceptio, nullatenus est admittenda.

7. Corp⁹ & sanguis Christi Domini sunt uerus & unicus cibus potusq; animarum nostrarum, quem edimus & bibimus, quóue pascimur in Cœna Dominica. Animæ autem nostræ spirituales sunt, nec possunt nisi spiritualiter ore fidei uesci ac pasci corpore & sanguine Christi, quæ iuxta substátiam suam spiritualia non sunt. Igitur nulla carnalis manducatio corporis Christi,

quæ ore carnali in Cœna fiat, uel per somnium est admittenda. Ac proinde uerba illa Cœnæ (iuxta literã ut sonant) non sunt exponenda.

Obiectio. Quod uerò de Dei omnipotentia hic adfertur, nullius est momenti. Agnoscimus quidem reuerenter (ut debemus) Dei omnipotentiam. Sed eam ultra ipsius uoluntatem non esse extendendam dicimus. Deus enim omnia quæcunq; uoluit fecit, ut ait Psaltes: non autem quæcunq; non uoluit fecit. Porrò realem eiusmodi corporis & sanguinis Christi sub elemẽtis Cœnę præsentiam ex Dei uoluntate esse non constat. Quin potius indubitanter cõstat, infinitis scripturarum testimonijs eam Dei uoluntati ex Diametro aduersari. Neq; sanè extenuamus hic admirandam Dei potentiá, cum dicimus animas nostras pabulo corporis & sanguinis Christi Domini, uirtute spiritus sancti, in Cœna pasci, ac in communione eorundem obsignari in uitam æternam, etiamsi Christus corpore & sanguine suo cœlo contineatur.

Eph. 2. 8. Christus per fidem habitat in cordib. nostris. Ergo per realẽ carnalemq; præsentiam & manducationem, quæ ex literali illa uerborũ Cœnæ interpretatione prognascitur, nõ habitat, neq; ipsum in Cœnæ pane realiter (iuxta carnem) manducamus.

Quod

Quod enim carnali ore manducamus, saltē aliquandiu in nobis hæret. Sed iuxta ipsorummet aduersariorum sententiam nō heret in nobis, per Cœnę usum, Christi corpus: ut uidere est in iure Pontificio, ubi sic legitur·Certum est, quod quàm citò species dentibus teruntur, tam citò in cœlum rapitur corpus Christi. Item Vuestphalus: Corp⁹ Christi (inquit) est tantisper in pane, dū sensus afficitur. Sed sensus non afficitur nisi ad summū in gutture. Ergo per Cœnā Christi corpus nec hærere, nec habitare in nobis potest. Ac proinde uana est omnis eiusmodi manducationis imaginatio.

De Cōsecr. dist. 2. cap. trib. gradibus.

Vuestph. in libello de recta fide.

9. Non minus percipimus fide corpus et sanguinē Christi Domini in uerbo, quàm in Cœna ipsius. Sed uerbo Dei non inest ipsum corpus Christi, iuxta substantiam eius naturalē. Ergo neq; in elemētis Cœnæ (quæ est uerbū uisibile) ullo prorsus modo inesse, aut in pane delitescere putandū est.

Quod uerò ex uerbis illis Pauli (Quisquis ederit panē hūc, & biberit poculū Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini) inferūt aduersarij, corp⁹ & sanguinem Christi elementis Cœnę inesse, aut subesse: aliàs fieri nō posse, ut quis reus corporis & sanguinis Christi in Cœnæ usu fiat: nimis est friuolum.

Obiectio. 1. Cor. 11.

Quemadmodum enim non desinit esse

reus læſæ Maieſtatis Regiæ, qui ſigillū Regium cōtemptim pedibus cōculcat, etiamſi Rex ipſe perſona ſua conculcationi non adſit: ita quoq; nō poteſt non eſſe reus corporis & ſanguinis Chriſti Domini, qui ſignaculum Cœnæ Dominicæ infidelitatis ſuæ pedibus conculcat, etiamſi is corpore & ſanguine ſuo elementis Cœnæ non conſubſtantietur.

3.

Pugnat cum Regno Chriſti Domini.

1. Regnum Chriſti Domini nō eſt carnale, ſed ſpirituale in Eccleſia ipſius. Ergo in uerbis illis Cœnę Domini nihil carnale aut literale eſt cogitandum, præſertim cum nō hiſtoricæ narrationis, ſed ſacramentalis locutionis uerba eſſe conſtet. Ac proinde iuxta literam non ſunt exponenda: ne conſolationem ſpiritualem amittamus.

4.

Pugnat cum ſacerdotio Chriſti Domini.

1. Si Chriſtus adhuc eſſet in terris, nō eſſet ſummus ille & æternus ſacerdos in Eccleſia Dei, ut ait Paulus. Sed iuxta hanc literalem uerborum Cœnæ acceptionem, carnalemq; præſentiam & manducationem, Chriſtus corpore ſuo eſſet in terris. Ergo uerba

uerba illa Cœnæ iuxta literam exponi non possunt.

5.

Pugnat cum doctrina Christi Domini, ac mente.

1. Christus Dominus, ut apud Matthæũ & Marcum uocat calicem suum sanguiné, ita & apud Lucam & Paulum uocat eum nouum testamentum in suo sanguine. Ea autem de calice uerba neque apud Lucam, neq; apud Paulum iuxta literã accipi possunt. Ergo nec uerba prioris membri de pane Cœnæ iuxta literam accipi possunt, sed mysticè omnino sunt exponenda: cum eadem sit & panis & calicis in Cœna ratio.

2. Christus seriò admonuit suos discipulos, sibi cauerent ab ijs qui post ascensioné ipsius dicerent: Ecce hic Christus, ecce ibi. Verborũ aũt Cœnæ, iuxta literã, interpretatio hîc et illic in terris Christum sistit. Ergo nullo prorsus modo est admittenda.

3. Christus dixit: Pauperes semper habebitis uobiscum, me autem non semper habebitis. Verba auté illa sisterét nobis eum, cum uellemus, Christum Dominũ, si iuxta literam intelligerentur. Ergo uerba illa iuxta literam haudquaquã sunt intelligéda.

4. Paulus, optimus mentis Christi Domini interpres, hîc sub corporis nomine interpretatur non substantiam, sed communionem 1. Cor. 10.

nionẽ corporis Christi. Diuersa autẽ sunt inter se, ipsa substantia corporis Christi naturalis, & communio corporis ipsius. Ergo in uerbis Cœnæ non substantia, sed communio corporis Christi intelligi debet: ac proinde interpretatio illa uerborũ Cœnæ iuxta literam cum mente Christi conuenire non potest.

6.

Pugnat cum henade seu unione ueteris ac Apostolicæ Ecclesiæ.

1. Vnus est Ecclesię ueteris & nouę Deus, una fides, una & eadem iustificandi ratio, una & eadem ratio obsignandi iustificatio
1.Cor.10. nem: nimirum in mystico Sacramẽtorum usu, per spiritum sanctum. Eandem enim escam spiritualem comedebant patres omnes, & omnes eundem spiritualem potum bibebant, nempe Christũ. Christus autem iuxta carnem suam in ueteri Ecclesia nondũ existebat: ac proinde realiter, iuxta corpus & sanguinem suum naturalem, corporaliter neq; edi neq; bibi poterat. Ergo nec nunc eiusmodi carnalis manducatio est agnoscenda: multo minus uerò illa uerborũ Cœnæ iuxta literam interpretatio.

7.

Pugnat cum natura corporis Christi, ueraq; humanitate ipsius.

1. Christus per omnia similis factus est fra

tribus,

tribus, excepto peccato, iuxta doctrinā Paulinam. Nostra autem corpora uno tantum nunc sunt loco, atq; etiamnum post resurrectionē sunt futura. Vana ergo est omnis imaginatio de immensa corporis & sanguinis Christi Domini in Cœnæ elemētis præsentia & manducatio, quam secū trahit literalis uerborum Cœnæ interpretatio. Hebr. 4.

2. Sacra Scriptura unicum tantum Christi Domini corpus, & unicam saltem Cœnam Domini agnoscit. Nuda autem illa iuxta literam uerborum Cœnæ interpretatio, duplex Christi Domini corpus nobis constituit, aut duplicem proculdubio Cœnam Domini. Ergo nullo modo contra doctrinam fidei retineri Ecclesia debet. Aut enim, iuxta talem hanc interpretationem, corpus Christi mortale est in pane Cœnæ, ne dicam mortuū & exangue, aut immortale. Si mortale, tum sanè duo Christi corpora statuentur: alterum immortale gloriosum ad dexteram patris in cœlis, alterū uerò mortale adhuc in pane Cœnę. Si uerò immortale, iam non est eadem nostra Cœna cum Cœna Christi Domini, qui mortale corpus suū & sine sanguine in pane Cœnæ Apostolis suis (iuxta hanc talem expositionem) exhibebat.

3. Christus Dominus nunquam uno eodemq; tempore pluribus locis iuxta carnē suam,

ſuam, multo minus autem ſiue unde abie-rat, ſiue quò uenturus erat, præſens realiter adfuiſſe legitur. Sed per imaginationẽ illam corporalis in pane Cœnæ præſentiæ, infinitis ſimul locis uno eodemq́; tempore eſſe oporteret. Hæc talis igitur imaginatio carnalis præſentiæ, tanquam ueræ Christi Domini humanitati aduerſaria, ac proinde nuda illa uerborum Cœnæ interpretatio conſiſtere nullo modo poteſt.

Obiectio. Quod uerò de miraculo obijcitur, friuolũ eſt planè. Miracula enim Dei omnia (ut facile eſt uidere ex ſacris literis) ſunt aperta, & ſenſibus hominum, ad fidei ipſorum confirmationem, expoſita. Hic uerò nihil eſt tale: quinimo uis ipſa fidei obſcuratur, ac ueritas corporis Chriſti uiolatur. Igitur omnis eiuſmodi imaginatio eſt abijcienda.

4. Chriſtus quoties præſens fuit corpore, oculis uideri, manibusq́; hominum tangi uoluit, aut ſaltem potuit, etiam poſt ſuã reſurrectionem. Et ſi quando ulla incideret dubitatio de ueritate corporis ſui, tum ſanè non aliò quàm ad externorum ſenſuum uiſus & tactus iudicium prouocabat. In
Luc. 24. Cœna autem nec uideri, nec tangi, nec audi-
Ioan. 20. ri, neq; ullo omnino corporis ſenſu percipi poteſt. Vana eſt igitur, & pugnat cum natura ueræ humanitatis Chriſti Domini, realis illa præſentia corporis Chriſti in pane Cœ-

næ.

næ,ac nuda & simplex iuxta literá uerborum Cœnæ interpretatio.

5. Corpus Christi non potest in aliam ullam naturá transformari, aut alteri substantiæ reali unione coniungi, quàm diuinę. Si autem uerba Cœnæ iuxta literam interpretari debeant, necesse fuerit corpus Christi aut in panem transformari, aut saltem pani reali unione coniungi. Ergo uerba illa Cœnæ, non iuxta literam, sed mysticè sunt intelligenda.

6. Sanguis Christi Domini, post resurrectionem ipsius, non potest amplius à corpore ipsius ullo prorsus modo separari. In carnali autem illa manducatione separatur alterũ ab altero. nam & panis & uinum separatim distribuũtur & percipiũtur. uerba itẽ ipsa in quibus uis institutionis Christi instituitur, non uno eodemq; tempore proferũtur, sic ut corpus à sanguine, et sanguis à corpore Christi discernatur. Ergo nuda illa iuxta literam uerborũ Cœnæ interpretatio, carnalisq; itẽ manducatio corporis Christi Domini, retineri in eius Ecclesia non potest.

8.

Pugnat cum natura ἀνάμνησεως, seu recordationis.

1. ἀνάμνησις seu recordatio est, rerum non præsentiũ, sed præteritarum. Cœna autem Domini

Dominí instituta est in memoriam Christi, atq; adeò corporis ipsius fracti, sanguinisq́; ipsius effusi pro nobis. Ergo Christus iuxta carnem suam elementis Cœnæ inesse aut subesse, ut ministri manibus distribuatur, haudquaquam potest.

9.

Non est necessaria corporalis, in Cœnæ pane, corporis Christi manducatio: ac proinde neq; nuda illa, iuxta literam, uerborum Cœnæ interpretatio.

1. Si carnalis illa corporis Christi in Cœna manducatio esset necessaria ad salutem, Deus equidem illa ueterem Adami, Patriarcharum & Prophetarum Ecclesiam non fraudasset. Imò uerò Christum ipsummet patribus illis potius in carne exhibuisset, quàm de uenturo illo adhuc multo post tēpore, promissionem dedisset. Sed primis illis nostris parentibus, deinde uerò & patriarchis, deniq; & Israeliticæ Ecclesiæ toti sola de uenturo Christo promissio satis fuit ad salutem æternā, quatenus fide apprehendebatur: neq; eis quidquā defuit ad habendam eandem ipsam, quā nos habemus, corporis & sanguinis Christi cōmunionē: cum eandē nobiscū escā, eundēq; nobiscū potum spiritualē (ut suprà dictum est) ederint & biberint, Ergo realis illa sub ele-

mentis

mentis Cœnæ præſentia corporis Chriſti, ac proinde nuda etiam illa uerborum Cœnæ iuxta literam interpretatio, non eſt neceſſaria.

2. Si uerba illa Cœnæ Dominicæ iuxta literam ſunt exponenda, carnalisq; manducatio ſit neceſſaria ad communioné corporis & ſanguinis Chriſti conſequendam: oportet omnes qui Cœnæ Dominicæ non participāt excommunicari, atq; adeò damnari. Extra enim communionem corporis & ſanguinis Chriſti non eſt ſalus. Illud aūt ſine impietate dici non poteſt. Ergo omnis eiuſmodi carnalis manducatio, tanquam non neceſſaria, eſt auerſanda.

3 In Baptiſmo uerò abluimur ſanguine Chriſti Domini, Baptiſmi teſtimonio, per Spiritum ſanctum. Ad eam autem in Baptiſmo ablutionem nō requiritur realis ulla præſentia atq; effuſio ſanguinis Chriſti in aqua. Ergo ad edendum uerè & bibendū corpus & ſanguiné Chriſti in Cœna, nihil opus eſt illorum reali pręſentia aut manducatione: ac proinde neq; nuda illa iuxta literam uerborum Cœnæ interpretatione.

10.

Eſt inutilis.

1. Chriſtus Dominus nihil inutile inſtituit in ſua Eccleſia. Carnalis autem corporis ſui eſus, & ſanguinis ſui potus, iſthoc

modo

modo est inutilis, neq; prodest quidquam ad salutem, ut Christus ipsemet Dominus
Ioan.6. disertè testatur: Ergo carnalis illa præsentia, manducatioq́; ex Christi institutione esse non potest. ac proinde etiam tanquam inutilis est reijciēda, unà cum parente sua, nimirum illa uerborum Cœnæ iuxta literam expositione.

II.

Est absurda.

1. Literalis illa uerborum Cœnę Domini expositio arguit, Christum Dominum omnem corporis sanguinisq́; sui substantiam Apostolis suis, ore carnali manducandam tradidisse. Si autē Christus Dominus corpus sanguinemq́; suum ita ipsis comedendum bibendumq́; tradidisset, nullum proculdubio corpus frangendū sanguinemq́; effundendum habuisset. Igitur ea carnalis imaginatio, tanquā absurda (ne dicam impia) protinus est reijcienda.

2. Si uerba illa Cœnę, Hoc est corpus meū quod pro uobis frangitur, hoc est sanguis, &c. debeant iuxta literam, ut sonant, exponi: consequetur, corp⁹ Christi Domini adhuc frangi, & sanguinē suum effundi oportere. Ergo omnis eiusmodi carnalis imaginatio, tanquā absurda, est explodenda.

3. Ex carnali præsentia, manducationéque corporis Christi in Cœna ipsius, quam realis

realis illa uerborum Cœnæ interpretatio ſecum trahit, oporteret omnes ſanctos iam mortuos, aut in, aut ſub elementis Cœnæ eſſe cum Chriſto Domino. Chriſtus enim dixit: Pater quos dediſti mihi, uolo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum. Aut ſaltem oportebit Enoch, Eliæ, & ſi qui ſunt plures de quorum morte nõ conſtat ex ſcripturis, corpora pani Cœnæ cum Chriſti corpore reipſa includi. Certũ eſt enim, illos cum Chriſto Domino uiuere. Hoc uerò eſt longè abſurdiſsimum. Ergo imaginatio illa, de nuda iuxta literam uerborum Cœnæ (ut ſonant) interpretatione, & carnali in pane Cœnæ corporis Chriſti præſentia ac mãducatione, tanquã abſurda, eſt extirpanda.

4. Cum Cœnã Domini infinitis ſimul locis adminiſtrari poſſe conſtet, & aduerſarij contendant in ipſis Cœnæ elementis reipſa διὰ εἴδους eſſe, miniſtri manibus diſtribui, & ore carnali ſumi ipſam ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti naturalis, ex nuda illa uerborum Cœnæ, ut ſonant, interpretatione: neceſſariò fatendum eſt, iuxta doctrinam illorum, tam eſſe infinitum corpus ipſum & ſanguinem Chriſti, quàm ſunt infiniti loci quibus Cœna adminiſtrari ſimul poteſt. quod eſt abſurdiſsimum, & præcipuos quoſque fidei noſtræ articulos

planè ſubuertit. Ergo nuda illa uerborũ Cœnæ iuxta literam interpretatio, ut res abſurdiſsima, retineri in Eccleſia nõ debet.

5. Si uerba illa Cœnæ iuxta literã intelligenda eſſent, iamdudũ omittenda fuiſſet Cœnæ adminiſtratio. Ex uerbis enim Paulinis, Mortem Domini annunciate donec ueniat: conſtat, Cœnã Chriſti Domini aduentu ceſſaturam eſſe. Igitur abſurda eſt omnis eiuſmodi, iuxta literam, uerborum Cœnæ, ut ſonant, imaginatio.

6. Ipſa ſubſtãtia corporis Chriſti Domini pro nobis crucifixa eſt. Si autem panis ſubſtãtia ſua eſſet corpus Chriſti Domini, ſequeretur, panem pro nobis crucifixum eſſe. Ergo illa uerborum Cœnæ iuxta literam interpretatio, tanquam abſurda, eſt rejicienda.

7. Si uerba illa Cœnæ Domini nuda, iuxta literam ſunt accipienda: conſequitur, æquè impios atq; pios ſaluatum iri. Vita enim & gloria à Chriſti Domini corpore ſeparari amplius in æternũ non poſſunt, nedum in Cœna. Sed impij non ſeruantur, etiamſi participent de pane & poculo Cœnæ. Ergo ſequitur, hanc literalem uerborũ Cœnæ expoſitionem, ex qua carnalis progignitur præſentia, manducatioq; corporis & ſanguinis Chriſti Domini in Cœna ipſius, tanquam abſurdã explodendã eſſe.

IMPIOS AVTEM NON COMMV-*nicare corpori & sanguini Christi Domini in Cœna probatur.*

1. Nemo in Christo manet, & Christus in eo, nisi qui manducat carnem ipsius, & bibit sanguinẽ ipsius. Soli uerò fideles manent in Christo, & Christus in eis: proinde etiam soli manducant eius carnem, & bibunt eius sanguinem. Ergo impij neq; carnem Christi manducare, neq; sanguinem eius bibere in Cœna sine fide possunt.

2. Nemo communicat corpori & sanguini Christi Domini, nisi qui ad communionem corporis & sanguinis Christi Domini pertinet. Sed soli fideles ad communionem corporis & sanguinis Christi Domini pertinent. Ergo impij corpori & sanguini Christi Domini cõmunicare in Cœna nullo modo possunt.

12.

Est noxia.

1. Carnalis illa præsentię Christi corporis & sanguinis in elementis Cœnæ imaginatio, maximam hactenus idololatriæ occasionem dedit, ac etiamnũ quotidie dat. Ergo ea unà cum genitrice sua, nimirum literali uerborũ Cœnæ expositione, tanquã noxia, planè est reijcienda.

2. Ab omni specie mali, iuxta doctrinã Apostolicã, est abstinẽdum. Sed ea ipsa opi-

nio parit geniculationem in administratione Cœnæ Dominicæ, quæ specie idololatriæ coram elementis Cœnæ non caret. Ergo tanquam noxia planè est reijcienda.

3. Obscurat consolationem quam habemus in iusticia Christi: quę in hoc potissimũ declaratur, quòd suprà in cœlis apud Patrem pro nobis intercedit. Ita enim Christus Io.16. Spiritus sanctus, inquit, arguet mundum de iusticia, quia abeo ad patrem.

4. Priuat Ecclesiam consolatione spiritus sancti in ipsius missione. Nam Christus apud Ioannem: Expedit (inquit) uobis ut abeam. Si enim nõ abeam, spiritus S. nõ ueniet. Sed si abiero, mittã eum ad uos.

5. Paulus scribit, nos considere cũ Chri-
Eph.2. sto in cœlestibus per fidem. Sed per eiusmodi præsentiam certitudo illa nostri in cœlis cum Christo consessus, in quo maximã habemus consolationem, nobis eripitur. Ergo noxia est omnis eiusmodi cogitatio carnalis præsentiæ, manducationisq;, quę ex nuda illa uerborum Cœnę, iuxta literã, expositione originem ducit.

6. Certum est, nos perpetuam & nunquam interrumpendam cum Christo Domino habere communionem in corpore et sanguine suo. Sed per eiusmodi carnalem manducationem, qua in communionem

cum Christo Domino uenire dicimur, eripitur nobis perpetuæ illius nostræ cũ Christo Domino communionis consolatio. Ergo tanquam noxia, procul releganda est omnis illa uerborum Cœnæ iuxta literam expositio, carnalisq́; præsentia & manducatio corporis & sanguinis Christi.

7. Corporalis illa opinio de edendo ac bibendo (carnali ore) corpore & sanguine Christi Domini in Cœna ipsius, animos Cœnæ participantium circa crassam illam de præsentia corporali imaginationem ita occupat, ut illi uni intenti, mysterium Cœnæ, nimirum obsignationem communionis nostræ in corpore & sanguine Christi: nostrumq́; item erga Deum & proximum nostrum officium, cuius in Cœna admonemur, negligamus. Ergo tanquam noxia eiusmodi corporalis uerborum Cœnæ interpretatio, procul reijcienda est.

13.

Inducit necessariò prodigiosam corporis & sanguinis Christi ubiquitatem, contra scripturas.

1. Si Christus iuxta corpus & sanguinẽ suum sit ubiq;, frustranea erit Cœnæ institutio. Quorsum enim op⁹ erat Christo Domino Cœnam suam instituere, & corporis sanguinisq́; sui in elementis Cœnæ distributionem, cum in nobis ipsis corporis &

 sanguinis

sanguinis sui substatiã esse iam oporteret, si nusquam nõ esset? Falsum est igitur ubiquitatis commentum.

2. Deinde ex ubiquitatis illius assertione sequeretur, nullam esse Diaboli Angelorumq; eius ullorum cõdemnationem. corporis enim Christi substãtia nulla amplius gloria sua cœlesti exui iam potest.

3. Si corpus Christi esset ubiq;, nos ubique, ac proinde etiam in inferno futuri essemus. Hoc autẽ est contra scripturas, Luc. 16. Inter nos & uos (inquit Abraham) hiatus ingẽs firmatus est, ut si qui uolent hinc transire ad uos, non possint, neque isthinc huc transire. Ergo uana est omnis de ubiquitate corporis Christi cogitatio.

4. Si Christus Dominus ratione cõiunctionis diuinæ & humanæ naturæ, iuxta corpus suum esset ubiq;: sequeretur, ipsum iam inde à primo cõceptionis suæ initio, etiam extra diuæ uirginis uterũ, ubiq; conceptũ fuisse: eumq; etiam extra Bethleem ubiq; natum, ex Nazareth ubiq; educatũ, extra Hierosolymam ubiq; passum, extra monumẽtum in quod positus fuerat ubiq; sepultum ac resurrexisse, extra Galilæam deniq; in cœlum ubique assumptum esse: aut saltem diuæ uirginis uterũ, Betlehem, Nazareth, Hierosolymã, ac monumentum illud ubiq; expansa fuisse: quinimo in cœ-

lum

lum eum nunquam aſcendiſſe. oportuerat enim eum iam ante aſcenſionẽ in cœlis eſſe. Si uerò dicatur corpus Chriſti Domini primùm cœpiſſe eſſe ubiq; poſt ſuam aſcenſionem, ratione conſeſſus ipſius ad dexteram Dei patris: nõ eſt quòd præſentiam ullam corporis & ſanguinis Chriſti Domini ſub elemẽtis Cœnæ in prima cœna fuiſſe imaginemur: cũ illa ante conſeſſum Chriſti Domini ad dexteram Dei iam fuerit celebrata. ac proindè ne nunc quidem præſentiam ullam corporis & ſanguinis Chriſti ſub elementis Cœnę habemus: niſi ſi in Cœna nunc plus habeamus, quàm ipſi Apoſtoli habuerunt. Ergo omnis eiuſmodi ubiquitatis imaginatio, tanquam longè abſurdiſsima, eſt explodenda.

14.

Pugnat deniq; cum alijs multis Scripturæ locis.

1. Matth. 24. Si dixerint uobis (inquit Chriſtus met Dominus, ut ſuprà dictũ eſt) ecce hic Chriſtus, ecce illic, ne credatis. exorientur enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & edent ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem ducãtur etiam electi Dei, &c. Ac paulo pòſt rationem adiungens: Sicut enim fulgur exit ab oriente, & relucet uſq; in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. In Cœna uerò (nimirum corpore

pore suo) est planè inconspicuus. Ergo carnalis illa imaginatio prorsus est reijcienda.

2. Matthæi 28. Ecce (inquit Angelus de Iesu) resurrexit, non est hic.

3. Ioannis 16. Iterum (inquit Christus Dominus) relinquo mundum, & abeo ad patrē. E' quibus uerbis, Relinquo, abeo, &c. clarū est, Christum iuxta corpus suum sub elementis Cœnæ non esse. Igitur somnium est, quod de eiusmodi præsentia corporis Christi in Cœna adfertur.

4. Ioannis 17. Et iam (inquit Christus) non sum in mundo: at hi in mundo sunt: ego autem ad te uenio. ubi præsens positū est pro futuro. Ergo, &c.

5. Lucas Act. 1 de ascensione Christi Domini loquens: Videntibus (inquit) eisdem, in altum ab eis sublatus est, & nubes subduxit illum ab oculis eorum. Clarum est igitur, ab Apostolis, atque ita demum à nobis amotum esse: ac proinde eum hic in elemētis Cœnæ non esse quærendum.

6. Ibidem: Cumq; (inquit) essent defixis in cœlum oculis, eunte illo, ecce uiri duo astiterunt illis in uestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Hic habemus, Christum iuisse in cœlum. Vnde perspicuum est, eum ibi antea iuxta corpus suū non fuisse. Igitur non ubiq;, ut quidam uolunt. Deinde ibidem

ex

ex postremis illis uerbis, Sic ueniet, quemadmodum uidistis eum eunte: facile est uidere, non adesse corpus & sanguinem Christi Domini sub elementis Cœnæ, cum eo modo quo iuit, uenire non conspiciatur.

7. Petrus Actorum 3. Oportet (inquit) illum cœlum accipere, usq; ad tempus restitutionis omniũ quæ locutus est Deus per os omniũ sanctorũ suorum Propheratũ. Igitur nihil est hic nobis in Cœna de eiusmodi præsentia corporis Christi imaginandũ.

8 Actorũ 7. Ecce (inquit Stephanus) uideo cœlos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram Dei. Ergo, &c.

9. Paulus Philipp. 3. Nostra (inquit) cõuersatio in cœlis est, unde & Seruatore expectamus Dominũ IESVM Christum, &c. Quę sanè expectatio ad supremum Christi Domini aduentum est referenda, cum de nullo alio ex Scripturis constet. Igitur uana est omnis de quotidiano Christi aduentu in Cœna sua cogitatio.

10. Paulus Coloss. 3. Si resurrexistis, inquit, unà cum Christo, quæ superna sunt quærite, ubi Christus ad dexteram Dei sedet: quæ superna sunt curate, non quæ in terris. si autem in terris esset, hic nobis equidem, non autem in cœlo quærendus esset Christus: quod tamẽ à Paulo prohibemur. Ergo una est hæc præsentiæ corporis Chri

ſti in elementis Cœnæ aſſertio.

Plura quidem arguméta colligi poſſent, ad refellendam nudam illam iuxta literam uerborum Cœnæ interpretationé. ſed hæc pio & æquo lectori ſatisfactura ſperamus. Alioqui conſtat, inſtitutioné quidem Cœnæ traditam eſſe à Matthæo, Marco & Luca, atq; à Paulo apoſtolo 1. Corinth. 11. Myſterium uerò Cœnæ ipſius Dominicæ, modumq; edendi corporis, bibendiq; ſanguinis Chriſti Domini, abundè explicatum eſſe Ioan. 6 Euangelij ſui capite, & 1. Cor. 10. Qui unicus modus à Ioanne explicatus, cũ Chriſto Domino ſatisfaciat, quatenus illi promiſsio uitæ adiungitur, & nobis meritò ſatisfacere debet.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 3. uerſ. 5. Chriſtiani 4. 1. non ſolum non miteſcere & 12. proderemus 6.25. hîc 18. 4. iniungendum 20.22 pro Chriſtianus fortè ſcribendũ Chriſtiernus 34.10. ſatisfaciũt 37.4. pudefactione) 40. 11. uelit 41.4. Maieſtatis 52.21. ipſo die & 26. habitam 62. 10. Petri 67.26. Cœnæ (de qua & 27. docetur, imò & 28. docetur) cum 75.10. tum nos 77. 10. CHRISTI 81. 27. oſtendat. 86.5. poſſent 90.1. à ſuis 98.26. deſiderio) 110. ult. dele, poſt magnitudinem 122.19. occaſione 128.1. cum & 3. inhumanitatem 130.16. oſtendis 131. ult. gratioſi 139. 23. eſſe utriuſq; 140.1. uocatione. 155.19. diei, eius 159. 23. fortè legend. habeant communionem 196.3. tantum 206.18. excuſſa 209.1. dixi 228.25. ueſtræ 229.19. ſuppliciter 245.7. nobis 267.16. in Eccleſia 281. ult. uana.

RERVM ET VERBORVM IN hoc libro præcipuè memorabilium INDEX.

Augusti-

Chri-


manua-

pere-

stipula

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA
Ioannis Oporini, Anno Salutis hu-
manæ M. D. LX. Menſe
Martio.


BIBL. UNIV. GAND.

